

*De Ranunculaceis Indicis Disputationes.—SCRIPSIT P. BRÜHL.*

[Tab. iii, iv, v et vi].

## PRAEFATIO.

Ex quo tempore Hooker filius et T. Thomson de Ranunculaceis indicis in volumine primo Floræ imperii indici conscripserunt, maximus numerus exemplarium stirpium exsiccatarum adlatus est a Stoliczka, Anderson, Kurz, Prain, Henderson, Scully, Giles, Aitchison, Duke, Lace, Brandis, Schlich, Gamble, Ellis, Baden-Powell, Drummond, Davidson, Tanner, Sedgewick, C. B. Clarke, Watt, Gammie, Pantling, aliisque viris, magnaue speciminum copia cumulata est in herbariis calcuttensi et saharanpurensi summa industria atque cura Duthiei et Doctoris King, clarissimorum virorum illorum de rebus botanicis indicis optime meritorum. Ac peregrinationes laboresque Hancei, Henryi, Prattii, Davidi, Delavayi, Maximowiczii, Przewalskii, Potanini, qui, fortis ad pericula, desertorum terroribus vel hostium montiumque altissimorum frigoribus indomiti, Mongoliam et Tibetiam et Chinam propriam peragraverunt, atque species novae in imperio sinensi repertæ et ab Maximowiczio, Franchetio, Hemsleyo, aliisque accuratissime descriptæ ac definitæ comparationem stirpium indicarum cum stirpibus regionum finitimarum reddiderunt faciliorem.

Quamobrem Ranunculaceas indicas denuo perscrutari et cum reliquis asiaticis et europaeis comparare instituimus, quamquam regnum nipalense vix exploratum et eæ partes Himalayæ quae a terra sikkimensi ad orientem vergunt adhuc fere ignotæ nos impediunt ne quaestionem plane cumulateque perficiamus. Species autem Ranunculacearum valde variabiles sunt mirumque in modum polymorphae, ut perdifficile sit formas varias in species subspecies varietatesque disponere harumque fines regere. Ita fit ut genera plurima in species permultas, descriptionibus bene definitas, natura plane confusas, divulsa et quasi discepta videamus. Facilius enim est apta dissolvere quam dissipata connectere.

Et quamquam in libellis floris excursoriis dictis conficiendis parvi interest utrum more Jordaniano subvarietates ad speciei dignitatem perducamus, an sequentes O. Kuntze sexcentas species aliorum auctorum ad unam redigamus: maximi momenti esse censimus in plantarum distributione investiganda et ad doctrinam transmutationum aliasque quaestiones physiologicas recte intelligendas non seiungere ea quae gradatim transeuntia unum in alterum natura sint iuncta. Itaque in his disputationibus speciem statuimus esse universitatem omnium stirpium quae, quamvis extremae inter se differant habitu, magnitudine, indumento, partium figura, aliisque notis, ita formis mediis copulatae connexæque sunt

ut discrimen quod in omnes partes valeat nullum reperiri possit. Sed quoniam summam alicuius speciei cognitionem non possumus consequi, nisi eius varietates scientia complectamus earumque affinitates indagemus; cumque investigatio variationum multum habeat delectationis: subspecies, varietates, subvarietatesque Ranunculacearum indicarum nobis investigandas putavimus. Vis autem et natura subspeciei et varietatis in eo est quod quibusdam notis satis distinctae sint, sed tamen quasi gradibus nec genere inter se differant, ita ut discrimen varietatum propinquarum saepe perdifficile sit neque sine comparatione multorum exemplarium in herbariis conservatorum instituta possit fieri.

Atque in his commentariis nobis saepe mentio facienda erit ceterorum stirpium quae, perductae ab auctoribus quibusdam ad speciei dignitatem, ad subspecies vel varietates revocandae videantur. Sed temporis spatique compendii faciendi causa interdum licebit subspecies vel ipsas varietates tractare tamquam species, si auctores quidem iis speciei nomen invenerint. Si autem dignitatem subspeciei vel varietatis plane praedicare volumus, hoc modo scribere liceat: si speciem ab auctore quodam definitam pro subspeciem habendam censimus virgulis uteatur et scribemus exempli gratia—*Aquilegia fragrans* *Bentham*; si varietatem—*Aquilegia fragrans* *Bentham*; si autem ipse, qui nomen dedit formae quam subspeciem opinamur esse, eam pro subspecie varietate habuit, hoc modo scribemus exempli causa—*Clematis sikkimensis H f. et T'*. Et cum clarissimo Doctore Drude\* asterisco quidem uti licuerit, ita ut ponamus—*Aquilegia*\* *Moorcroftiana Wall.*, vel *Delphinium*\* *persicum Boiss.*, vel *Thalictrum*\* *rufum Lecoyer* in locum *Aquilegiae vulgaris Lin.*, subsp. *Moorcroftiana* (*Wall.* pro specie) vel *Delphinii camptocarpi*, subsp. *persici* (*Boiss.* pro sp.), vel *Thalictri punduani Wall.*, subsp. *rufi* (*Lecoyer* pro sp.); sed facilius videtur esse minusque tardum virgulas scribere quam asteriscos.

Atque Baillon, vir ille assiduus et in cognitione rerum indaganda sagacissimus, multa genera ad subgenera, uti in Ranunculaceis Aconitum ad *Delphinium*, *Caltham* ad *Trollium* revocat. Eum si sequamur, num censimus tanta nomina mutanda et *Delphinium Napellus* vel *Trollius palustris* pro *Aconito Napello* vel *Caltha palustri* scribendum esse? Minime vero. Nam si subgeneris pro generis nomine utamur, vix unquam error nobis atque tenebrae erunt; si autem specierum permultarum nomina in alia mutemus, quanta turba erit, quanta confusio. Sic vero nonne iis qui rebus herbariis operam dent magis magisque necessitas imposita erit in synonymis solvendis ac descendis temporis abutendi et historiae opinionum atque errorum pro cognitione atque

\* Vide Schenk, *Handbuch der Botanik*, vol. iii, 2.

indagatione rerum naturae substituendae? Neque Baillon, vir doctissimus, Aconito ad subgenus *Delphinii* redacto, dinumerat omnes species *Aconiti* sub nomine *Delphinii* neque nomen suum nominibus mutatis adicit. Nam satis est scribere *Aconitum Napellus Lin.* aut, si mavis, *Aconitum' Napellus Lin.*, virgula posita post nomen subgeneris. Quid? Si quis omnino tollat genus aliquod, aut si nomina prisca in libris antiquis indaget atque odoretur, nomenne suum nominu mutato affigat? Imitandine sunt viri illi illustrissimi qui ipsorum nominibus scribendis nunquam fessi laboribus levioribus aeternitatem adipisci immortalitatemque sibi parere volunt et sub titulo legum conservandarum omnia miscunt atque perturbant? Immo honorem censimus iis esse tribuendum qui in notis quibus species nova a reliquis eiusdem generis speciebus distingui possit accurate ac diligenter investigandis operam laboremque consumpserunt, neque iis qui in enumeratione stirpium quae in terra quadam crescunt conseribenda aut qui nomine generis commutato speciebus veteribus nova nomina imponunt. Itaque sufficet scribere—*Ranunculus Shaftoanus Aitch. et Hemsl.* (sub *Oxygraphide*), vel, si placet, uti nos in his disputationibus interdum scribemus,—*Ranunculus!* *Shaftoanus Aitch. et Hemsl.* vel plane *Ranunculus Shaftoanus Aitch. et Hemsl.* neque *Ranunculus Shaftoanus Boiss.* Et scribere quidem maluissemus—*Ranunculus Shaftoanus (Aitch. et Hemsl.)*, nisi *Torrey et Gray* in *Flora civitatum boreali-americanaarum* nomen auctoris nominis speciei inter arcus posuissent neque scriptissem exenti causa—*Caltha palustris (Lin.)* vel *Trollius laxus (Salisb.)*.

Sed ad propositum revertamur. In disputatione prima de *Aquilegia* dieamus fusius, quod magna in herbariis *Aquilegiarum* indicarum videtur esse confusio; in altera omnes species indicas ordinis *Ranunculacearum* in subspecies et varietates disponere easque accuratius definire conabimur, ac praecepta addemus concisa ad species in provinceis nonnullis indicis gignentes ratione ac via determinandas; in postrema denique de variatione atque polymorphismo *Ranunculacearum* quae in imperio indicio regionibusque finitimus nascuntur proponere instituimus.

Materiam autem ad has disputationes conscribendas praebuerunt herbaria hortorum calcuttensis et saharanpurensis, thesauri illi ditissimi stirpium indicarum exsiccatarum, quarum usum debui benignitati liberalitatique Doctorum King et Prain, ac comitati cl. Duthie qui non solum *Ranunculaceas* in herbario saharanpurensi conditas mihi libentissime et, propter studia mea frequenter negotiis publicis longo intervallo intermissa, per longum temporis spatium incommodo suo commodavit, sed cuius exemplaria exsiccata etiam ab ipso magna cura ac diligentia lecta optimeque conservata investigationum labores mearum aliquanto sublevaverunt.

Nominum autem compendia quibus in his commentariis utemur inter alia haec sunt:—

F. I. = Flora indica; F. B. I. = Flora of British India; H. E. I. C. = herbarium of the late East India Company; H. Calc. = herbarium calcuttense; H. Sah. = herbarium saharanpurens; A. = Dr. Anderson; Aitch. = Dr. Aitchison; B. = Dr. Brandis; B. P. = Baden-Powell; C. = General Collett; Cl. = C. B. Clarke; D. = Duthie; Dd. = Davidson; Dr. = Drummond; E. = Ellis; G. = Dr. Giles; J. = Rev. Jaeschke; K. = Dr. King; K. C. = viri qui missi sunt a doctore King stirpes legendi causa; Scz. = Dr. Stoliczka; Sy. = Dr. Scully; W. = Dr. Watt.

## DISPUTATIO PRIMA.

### DE AQUILEGIA.

Inter genera variabilia Ranunculacearum ac polymorpha vix aliud genus inveniri potest de quo tam variae sint sententiae virorum rerum herbariarum peritorum tamque discrepantes quam sunt de Aquilegiis, quarum nonnulli dinumerant plus quadraginta species, quas alii ad quinque vel sex redigendas esse censem. Atque Hooker filius et T. Thomson in Flora indica et in Flora imperii indici omnes formas indicas ad Aquilegiam vulgarem revocant, et Aquilegiam pyrenaicam, Moorcroftianam, fragrantem, pubifloram, glandulosam, aliasque cum Aquilegia vulgari formis mediis connexas esse et ad eam reducendas affirmant, quamquam plurimi qui quidem in artis herbariae cognitione versentur illas species omnes inter se maxime distinctas et certe ab Aquilegia vulgari sciungendas esse arbitrantur. Quamobrem ad omnes formas Aquilegiarum, europaeas, sibiricas, caucasicas, americanas, praecipue autem indicas et sinenses perscrutandas nos conferre constituimus, ut reperiamus, si id fieri possit, quae notae constantes et ad species discernendas aptae evadant quaeque sint mutabiles neque ad species propinquas separandas valeant. Sed ne revolvamus eodem in hac quaestione tractanda, antequam formas varias denuo in species aut subspecies varietatesve distribuimus, species ita accipiems uti sunt definitae in monographiis Bakeri et Zimmeteri vel in Floris orientali Boissieri, rossica, altaica, dahurica, tangutica, mongolica, aliisque auctorum rossicorum, vel in germanicis, italicis, gallicis Kochii, Bertolonii, aliorumque scriptorum.

Si autem quaerimus quibus notis ii qui de Aquilegiis scripserint ad harum species internoscendas in monographiis et floris usi sint, animadvertisimus auctores indumento, thallomatis ramificationi, foliolorumque figurae ac magnitudini, partium floralium formae et mensurae comparatae vel per se aestimatae, denique follicularum longitudini et fabricae, seminumque structurae vim discriminis adiudicavisse.

Primum igitur de indumento pauca dicamus. Nam species Aquileiae saepe ab auctoribus distingui invenimus praesentia aut absentia pilorum glandulosorum. Atque mirum quanta confusio exstiterit ex specie illa Gouani, quam auctor propter indumenti naturam Aquilegiam viscosam nominavit, quod nomen doctissimum Boissierum aliosque induxit ut stirpem Gouanianam ab Aquilegia vulgari typica nullo modo diversam, tabulam autem pictam in Illustrationibus male descriptam esse censerent; Kitaibel vero stirpem eam, cui postea Schott Aquilegiam Kitaibelii dixit nomen, eandem esse vult ac speciem Gouanianam, quam quidem Zimmeter cum dubio ad Aquilegiam Eiusleanam refert. Baker vero in monographia sua Aquilegiarum\* Aquilegiam viscosam speciem bonam neque cum varietate aliqua viscosa Aquilegiae vulgaris neque cum Aq. Einseleana confundendam esse putat. At vero exemplar vidimus humile uniflorum a Requiero in monte Ventoux Provinciae lectum, cuius folia omnibus notis ita cum foliis in tabula Gouaniana pictis congruunt ut nobis persuasissimum sit hanc esse formam quam Gouanius dicit humilem esse atque unifloram. Exemplar autem Requieri omnino cum exemplaribus quibusdam A. Einseleanae e valle Sassa Savoyensi allatis convenit, ut nemini dubium possit esse, quin A. viscosa Gouan eadem species sit atque A. Einseleana Schulz = A. pyrenaica Koch = A. Bauhini Schott, quae quidem transitus praebet ad Aquilegiam Kitaibelii Schott = A. viscosa Kitaibel = A. pyrenaicam Visiani et A. thalictrifoliam, quam Nyman sub-speciem censem est esse A. Baulini. De sententia Bakeri et Zimmeteri pars inferior caulis foliaque A. Einseleanae glabra sunt, sed in exemplaribus nonnullis, neque tamen omnibus, in valle Sassa lectis caulis totus petioli petioluli foliaque basilaria manifesto glanduloso-hirta sunt, ita ut discrimen inter A. viscosa et A. Einseleanam reperiri possit nullum. Iam vero indumentum caulis stirpium indicarum ita variabile est, ut nullius momenti ad species Aquilegiae seiungendas esse opinemur, utrum caulis totus sit pilosus an pars eius inferior glabrescat. Mentionem autem facere licet hoc loco exemplarium himalaicorum A. vulgaris var. Karelina, quorum parastemes apice hirti sunt, quod in nulla alia forma Aquilegiarum invenimus. Atque in Himalaya Tibetiae occidentalis forma quaedam A. Moorcroftiana occurrit, cuius caulis infimus petioli petioluli folia dense vel densiuscule glanduloso-hirta sunt, quamquam illae partes A. Moorcroftiana plerumque sunt modice puberulae vel omnino glabrae; et in exemplaribus A. nivalis' var. paradoxae P. B. vidimus caulem nunc basim versus glaberrimum nunc prope basim glanduloso-hirtum nunc totum cum petiolis dense hirsutum. Et foliola quidem A. vulgaris typicae

\* Gardener's Chronicle, 1878.

interdum sat dense pubescentia sunt, ut haec nota ad Aquilegiam Ebneri et A. vulgarem discernendas non valeat. De quo concludendum esse censimus indumentum caulis foliorum parastemonum ad species Aquileiarum internoscendas nullam vim discriminis habere. Meliores vero notas praebet indumentum carpellorum. Nam formae plurimae, quae cum Aquilegia vulgari et A. canadensi artioribus affinitatis vinculis coniunctae sunt, ovarium habent dense hirtum, cum carpella Aquilegiae sibiricae glabrae sint; vidimus tamen pistilla Aquilegiae sibiricae secundum suturam ventralem pube minuta vestita, et ovaria Aquilegiae brevistylae nunc pubescentia nunc glaberrima inveniuntur. Atque carpella Aquilegiae leptoceratis a Turczaninowo glaberrima dicta sunt; sed Ledebour in Flora rossica exemplaria se vidiisse ab ipso Turczaninowo missa, quorum carpella pubescenti-villosa fuerint, et stirpes in horto Schweitzingensi e seminibus sibiricis ortas ovaria pubescentia praebuisse scribit. Probabile autem, carpella iuniora hirta esse, sed cum maturescant, pubem fundere, ut interdum fere accidit in aliis Aquilegiis, sicut in A. pubiflora.

Nunc veniamus ad staturam et ramificationem caulis foliorumque divisionem. Longitudo caulis floriferi Aquilegiae glandulosae variat inter 12 et 40 cm., Aquilegiae kunaorensis et Aquilegiae pubiflorae inter 15 et 70 cm., Aquilegiae oxysepala inter 20 et 100 cm., Aquilegiae vulgaris typicae inter 35 et 120 cm. Cum autem caulis ramique cuncti in floribus desinant, videamus quot flores in quarundam caule Aquileiarum inveniantur. Habemus in A. vulgari typica 3-6-12, in A. nigricanti 1-5, in A. glandulosa 1-5, in A. kunaorensi 1-6, in A. oxysepala, canadensi, Einseleana 1-10; atque exemplaria reperiuntur Aquilegiae pubiflorae alia humilia et uniflora quae stirpes simplifices Aquilagiae viscosae Gouanii in mentem revocant, alia procera 50-70 cm. altitudine octo vel decem flores edentia Aquilegiaeque vulgari similima. Ramificatio igitur caulis valde varia.

Nec foliorum divisio videtur satis constare. Nam folia basilaria ternata Aquilegiae leptoceratis *Fisch. et Mey.* et Aquilegiae dinaricae *Beck* foliis bibernatis plus minus mixta sunt, et folia plerumque bibernata Aquilegiae Bertolonii, A. viscosae, A. pyrenaicae, A. nivalis, A. nigricantis haud raro cum ternatis nonnullis sunt sociata; quin etiam folia simpliciter ternata in A. pubiflora et A. alpina, speciebus foliis insigniter bibernatis vel traternatis, haud semper absunt.

Atque foliola media in formis indicis saepius plus minusve profunde divisa, aut in A. fragranti, A. kunaorensi, A. vulgari var. *Karelini* folia plane traternata sunt; sed foliola terminalia A. vulgaris typicae et A. canadensis et A. glandulosae nunc ad basim usque trisecta, nunc ad medium tripartita, nunc vix ad quartam partem triloba. Species

autem Aquilegiarum nonnullas ab auctoribus magnitudine foliolorum distinctas invenimus; et formae inter se distantes certe foliorum mensura interdum discerni possunt, uti *A. pyrenaica* ab *A. grata*; sed foliola plerumque magnitudine mirum in modum variant. Longitudo enim foliolorum mediorum foliorum basilarium Aquilegiae nivalis 3-16 mm., *A. viscosae* 5-25 mm., *A. glandulosa* 10-40 mm., *A. alpinae* 12-40 mm., *A. pubiflorae* 10-45 mm., *A. vulgaris* var. *variae* 25-50 mm., *A. Moorcroftiana* 9-50 mm., *A. canadensis* 12-50 mm., *A. oxysepala* 15-60 mm.

Latitudo quoque foliolorum cum longitudine comparata nobis in discrimine specierum saepe deest, quod videre licet si, mensura acta, latitudinem fololi terminalis cum longitudine comparemus. Quam ob rem in hac tabella mensuram latitudinis tanquam fracturam longitudinis expressimus:—

<i>A. oxysepala</i>	...	...	...	$\frac{4}{5} - \frac{1}{7}$ ,
<i>A. vulgaris typ...</i>	...	...	...	$\frac{3}{4} - \frac{4}{3}$ ,
<i>A. alpina</i>	...	...	...	$\frac{1}{1} - \frac{5}{4}$ ,
<i>A. Bertolonii</i>	...	...	...	$\frac{1}{1} - \frac{3}{2}$ ,
<i>A. Einseleana</i>	...	...	...	$\frac{3}{4} - \frac{1}{1}$ ,
<i>A. pyrenaica</i>	...	...	...	$\frac{1}{1} - \frac{3}{2}$ ,
<i>A. nivalis</i>	...	...	...	$\frac{1}{1} - \frac{3}{2}$ ,
<i>A. glandulosa</i>	...	...	...	$\frac{6}{7} - \frac{3}{2}$ ,
<i>A. Moorcroftiana</i>	...	...	...	$\frac{1}{1} - \frac{3}{2}$ ,
<i>A. pubiflora</i>	...	...	...	$\frac{3}{4} - \frac{4}{3}$ (raro $\frac{5}{3}$ ).

Aquilegia Einseleana igitur ab *A. pyrenaica* et *A. Bertolonii* latitudine foliolorum cum longitudine comparata aegre distinguitur. Mensurae autem inter se comparatae foliolorum figuram partis eorum basim spectantis afficiunt efficiuntque ut foliola margine sese obtegant vel attingant aut intervallo plus minusve manifesto inter se distent. Et foliola quidem terminalia foliorum basilarium basim versus conspicue cuneata sunt in *A. thalictrifolia* et *A. Einseleana* et *A. leptocerate*, late cuneata in *A. Kitaibelii*, *A. Bertolonii*, *A. oxysepala*, aliisque; sed in *A. vulgari typica* nunc subanguste nunc late cuneata nunc fere rotundata, in *A. alpina* basi aut obtusa subcuneata aut subtruncata, in *A. pyrenaica* late cuneata v. subcordata v. rotundato-truncata, in *A. nivali* obtusa v. subcordata, raro cuneata, in *A. glandulosa* et *Moorcroftiana* late cuneata v. obscure cordata v. truncata, in *A. pubiflora* late cuneata v. subtruncata. Foliola marginibus plus minusve sese obtegunt in *A. alpina*, *A. Bertolonii*, *A. pyrenaica*, *A. nivali*, *A. grata*; in *A. glandulosa* foliola marginibus plerumque imbricata sed etiam subdistantia, quod accedit etiam in *A. Moorcroftiana*, *A. vulgari*, *A. oxysepala*, *A. pubiflora*; cum foliola *A. Einseleanae* et *thalictrifoliae* semper distantia

sint et in *A. Kitaibelii* sese vix attingant. Transitus vero animadver-tuntur inter *A. Einseleanam* et *A. Bertolonii*; neque *A. thalictrifolia* cum *A. grata* et *A. pyrenaica* gradibus per *A. Einseleanam* et *A. Kitaibelii* non est connexa. Inter *Aquilegias* autem indicas *A. pubiflora* varietatibus foliorum insignis; folia enim nunc *Aquilegiae vulgaris*, nunc *Aquilegiae alpinae*, nunc fere *Aquilegiae viscosae*.

Sed haec quidem de foliis basilaribus: folia autem caulinata inferiora *A. Moorcroftiana*, praesertim eius varietatis, quam Cambessède suaveolentem appellavit, mirifice polymorpha nunc *Aquilegiæ vulgare*m, nunc *A. glandulosam*, nunc *A. alpinam*, nunc *A. Bertolonii* in mentem revocant; et in exemplaribus afghanicis et kashmiricis ex eodem loco allatis nunc crenas breves et rotundatas *A. Bertolonii* vel *pyrenaicae* nunc linear-ablongas *A. alpinae* animadvertisimus; neque folium caulinatum infimum *A. Bertolonii* basilaribus semper dissimile, et stirpes *Aquilegiæ alpinae* floribus magnis haud raro occurrunt quae foliorum caulinorum natura inferiorum ab *Aquilegia Bertolonii* aegre discernuntur.

Mittimus vero de florum colore dicere: notissima enim mira varietas illa colorum quam vidimus in gregibus illis americanis *Aquilegiæ caeruleæ* et *formosæ*; notissimæ etiam varietates florum *Aquilegiæ glandulosæ* quae sepalis caeruleis petala nunc alba, nunc ochroleuca, nunc caerulea adiungit; notissimæ denique in saltibus himalaicis stirpes illæ *Aquilegiæ kunaorensis* suaveolentis speciosis ornatae floribus ex calyce albido constantibus vel stramineo et corona, cui suffusus est color nunc ochroleucus, nunc albus, nunc violaceus.

Verum haec missa facimus; illud quaeramus num magnitudo florum discimen sit inter species *Aquilegiarum*. Hac enim nota auctores saepe usi sunt ad *Aquilegiæ vulgare*m et *A. nigricantem*, *A. Bertolonii* *pyrenaicam*que et *A. alpinam*, *A. Kitaibelii* et *A. pyrenaicam* et *A. Einseleanam*, *A. vulgare*m et *A. Ebneri*, *A. longisepalam* et *A. nigricantem*, *A. Moorcroftianam* et *A. fragrantem* internoscendas. Longitudinem vero sepalorum, quae nota ad magnitudinem floris attinet, in exemplaribus herbariorum indicorum, millimetris mensam, hanc reperimus—in :—

<i>A. vulgari</i>	...	...	...	18-32,
<i>A. atrata</i>	...	...	...	18-32,
<i>A. nigricanti</i>	...	...	...	27-34,
<i>A. alpina</i>	...	...	...	30-45 (rarissime minus 30),
<i>A. Einseleana</i>	...	...	...	14-27,
<i>A. Bertolonii</i>	...	...	...	24-30,
<i>A. glandulosa</i>	...	...	...	16-45,
<i>A. nivali</i>	...	...	...	14-28,

<i>A. kunaorensi</i> var. <i>a</i> Camb.	...	14-24,
<i>A. kunaorensi</i> suaveolenti	...	26-50,
<i>A. oxysepalata</i>	...	17-30,
<i>A. pubiflora</i>	...	12-28,
<i>A. fragrantia</i>	...	22-30,
<i>A. pyrenaica</i> typica	...	17-27,
<i>A. canadensis</i>	...	12-22,
<i>A. caerulea</i>	...	22-40.

Distributio igitur Aquilegiarum in micranthas, mesanthas, macranthas vix hortulanis quidem usui esse potest; neque mensura sepolorum utenda videtur in discriminē *A. Ebneri* et *A. vulgaris*, *A. vulgaris* genuinae et *A. nigricantis*. Et quamquam Zimmeter in tabella analytica scribit sepala *A. Kitaibelii* esse 17 mm., Aquilegiae autem Einseleanae et pyrenaicae 25-27 mm. longa, vidimus tamen exemplaria Aquilegiae Einseleanae in alpibus savoyensibus lecta quorum sepala 14-18 mm. tantum longa erant, et specimina reperimus Aquilegiae pyrenaicae e saltibus montis pyrenaei allata sepalis vix plus 17 mm. longis. Non est igitur vis discriminis in longitudine sepolorum. Melius autem insigne ad species discernendas mensurae sepolorum inter se comparatae praebere videntur; nam sepala exemplarium fere omnium Aquilegiae pubiflorae et Aquilegiae oxysepalae lanceolata et manifesto, interdum longissime, acuminata sunt; vidimus autem specimina *A. pubiflora* sepalis aut ovato-lanceolatis longe acuminatis apice acutis aut obtusis, aut ovato-lanceolatis leviter acuminatis apice subacutis aut raro ovato-oblongis neque acuminatis apice obtusis, aut rarissime late ovatis apice obtusis. In hac tabella latitudo sepolorum tanquam fractura longitudinis expressa est—

<i>A. pyrenaica</i> genuina	...	...	$\frac{1}{2}$ - $\frac{3}{5}$ ,
<i>A. Einseleana</i>	...	...	$\frac{2}{5}$ - $\frac{5}{9}$ ,
<i>A. vulgaris</i> typica	...	...	$\frac{2}{5}$ - $\frac{2}{3}$ ,
<i>A. glandulosa</i>	...	...	$\frac{2}{5}$ - $\frac{3}{5}$ ,
<i>A. moorcroftiana</i> typica	...	...	$\frac{1}{3}$ - $\frac{5}{9}$ ,
<i>A. kunaorensis</i> suaveolens	...	...	$\frac{1}{3}$ - $\frac{3}{2}$ ,
<i>A. oxysepalata</i>	...	...	$\frac{1}{5}$ - $\frac{2}{5}$ ,
<i>A. pubiflora</i>	...	...	$\frac{1}{7}$ - $\frac{1}{3}$ , raro $\frac{1}{2}$ .

Reperiuntur autem sepala Aquilegiae moorcroftianae typicae nunc late ovata v. ovato-oblonga apice obtusissima aut subacuta, nunc ovato-lanceolata breviter acuminata apice obtusiuscula; sepala Aquilegiae kunaorensis var. suaveolentis nunc ovato-oblonga neque acuminata sed apice acutiuscula aut breviter acuminata apiceque fere obtusa, nunc ovato-lanceolata acutissima conspicueque acuminata; sepala Aquilegiae alpinae nunc late ovata acuta nunc elliptico-oblonga subobtusa. Sunt

igitur, quoad sepala, formae mediae inter *A. pubifloram* et *A. vulgarem typicam*, neque e sepala *A. oxysepalae latiora* sepalis *Aquilegiae vulgaris* var. *indica* figura dissimilia.

Alia nota quam auctores ad species seiungendas aptam existimant a longitudine sepalorum et petalorum comparata sumpta est, uti sepala *A. Einseleanae* dicuntur petalorum limbum superare 14 mm., *A. pyrenaicae* 9 mm., *A. nigricantis* 21 mm.; eminere vero videmus sepala ultra petalorum marginem anteriorem 3–14 mm. in *A. Einseleana*, 4–9 mm. in *A. pyrenaica*, 10–21 mm. in *A. nigricanti*; in *Aquilegia* porro *pubiflora* 6–14 mm., in *A. Moorcroftiana typica* 3–5–12 mm., in *A. oxysepalae* 4–11 mm., in *A. kunaorensi suaveolenti* 15–22 mm., in *A. nivali* 7–14 mm., in *A. glandulosa typica* 6–22 mm., in *A. viridiflora interdum* 0–4 mm.

Nec mensurae comparatae limbi petalorum longiorumque staminum nobis ad species seiungendus suppetunt. Neque columnam stamineam *A. atratae* nunquam extra petalorum campanulam 3 mm. tantum projectam vidimus, quod etiam accedit in *A. vulgari typica*; in *A. Einseleana* autem et in *A. alpina* stamina petalis sunt 2–6 mm., in *A. pyrenaica* 2–4 mm., in *A. glandulosa* 2–11 mm. breviora, cum in aliis stamina nunc sint petalis paullulo breviora nunc paullulo longiora. In *Aquilegia* vero caerulea var. *typica* stamina nectariorum limbo nunc 10 mm. breviora nunc 6 mm. longiora, nunc numerosissima nunc eodem fere numero atque in *A. canadensi*, nunc patentissima nunc subparallelia, nunc fere eadem longitudine nunc inter se valde inaequalia.

Proximum est ut de forma laminæ petalorum investigemus utrum satis constet ad discriimen specierum an variabilis evadat. Margo autem exterior petalorum manifesto rotundatus reperitur in *A. transsilvanica*, *glandulosa*, iucunda, *Einseleana*, *thalictrifolia*, *Bertolonii*, *pubiflora*; rotundato-truncatus est in *A. vulgari*, *atrata*, *alpina*, *glauca*, *nivali*, *fragranti*, *Moorcroftiana*, *formosa*, *canadensi*, *Skinneri*. Vidimus tamen exemplaria *A. pyrenaicae typicae* et *A. Einseleanae* et *A. pubiflorae* quorum petala apice rotundato-truncata erant neque plane rotundata; *Aquilegia* autem *glandulosa genuina Fischeri* petala habet apice obtusa; et petala *Aquilegiae nivalis* nunc fere rotundata, nunc truncata ac sinuata, nunc profunde emarginata sunt. Figura igitur limbi petalorum, quamquam satis utilis ad subspecies internoscendas, nos in specierum discrimine fallere videtur.

Maximi vero momenti auctores plurimi calcaris formam magnitudinemque comparatam esse putaverunt.

Primum igitur de mensura calcaris cum laminae longitudine comparata videamus. Neque tamen de formis illis monstrosis *Aquilegiae vulgaris ecalcaratis agemus*, neque de varietate illa *Aquilegiae formosae* cui nomen truncatam dicunt disseremus cuius calcar longitudine vix

quinta decima vel vigesima pars est petalorum limbi, quae varietas vero cum forma illa calcaribus lamina quadruplo longioribus praedita et a Fischer sub nomine Aquilegiae formosae definita gradibus connexa est; cum A. formosa Fischeri sensim in stirpem illam, quae a Planchon arctica dicitur et in tabula picta\* lineis descripta est, transeat. Sed formis Aquilegiae vulgari affinibus nos contineamus. Mensuram autem calcaris ad longitudinem laminae redactam ita reperimus—

A. vulgaris typica	...	...	...	$\frac{1}{1} - \frac{3}{2}$ ,
A. pyrenaeica typica	...	...	...	$\frac{3}{4} - \frac{3}{2}$ ,
A. Einseleana	...	...	...	$\frac{2}{3} - \frac{1}{1}$ ,
A. Moorcroftiana typica	...	...	...	$\frac{1}{1} - \frac{2}{1}$ ,
A. kunaorensis suaveolens	...	...	...	$\frac{4}{3} - \frac{3}{2}$ ,
A. glandulosa (incl. iucunda)	...	...	...	$\frac{1}{4} - \frac{1}{1}$ ,
A. fragrans	...	...	...	$\frac{2}{3} - \frac{1}{1}$ ,
A. pubiflora	...	...	...	$\frac{5}{12} - \frac{1}{1}$ ,

Haec nota igitur nequaquam constat.

Sequitur ut de forma calcaris quaeramus. Calcar vero utrum rectissimum sit an modice incurvum nihil interest ad species internoscendas. Nam calcar nunc rectum nunc manifesto incurvum neque tamen hamatum reperitur in A. Einseleana, Kitaibelii, thalictrifolia, Ottonis, leptocerate, Moorcroftiana, glauca, kunaorensi suaveolenti, pyrenaica. Tabula picta vero Aquilegiae viridiflorae in Iconibus Delesertii ab auctoribus iterum iterumque reprehensa et male descripta existimata est quippe quae calcaria exhibeat apice incurva; vidimus tamen exemplaria mongolica a Potanino lecta calcaribus vertice manifesto curvatis minimeque rectis. Hae observatio nos incitat ad quaestionem investigandam num figura calcarii tanti momenti ad species distinguendas sit quanti eam auctores, per paucis exceptis, esse crediderint. Calcaria Aquilegiæ Moorcroftianæ in alabastro saepe uncinatim incurva; cum stirps floreat, nunc stricta, nunc manifesto incurva ac calcaribus Aquilegiæ nigricantis vix rectiora. Meliora vero exempla variationis calcarium ex Aquilegia pubiflora, fragrant, nivaliducere possumus. Nam Aquilegiae pubiflorae calcaria reperimus saepissime uncinatim vel circinnatim incurva; in silvis tamen provinciae Simla forma occurrit sepalis quidem lanceolatis acuminatis foliisque Aquilegiae pubiflorae genuinae sed calcare nunc manifesto uncinato nunc leniter incurvo minimeque hamato; et in varietate, quae Cunningham ex Himalaya pentapotamica attulit, calcar paullum incurvum sepalis nunc lanceolatis acuminatis nunc late ovatis obtusis adiunctum est. Vidimus etiam in herbario Kurzii exempla e Bavaria missa

\* Flore des Serres, tab. 795.

Aquilegiae vulgaris genuinae calcaribus rectis nequaquam hamatis; et calcaria Aquilegiae alpinae, vix unquam recta, in Appennino septentrionali fere more Aquilegiae vulgaris incurva inveniuntur, stirpes vero foliis Aquilegiae alpinae typicae instructae sunt neque cum Aquilegia Bertolonii confundendae. Sed ad species himalaicas revertamur. Sunt in terra gilgitensi et in Kashmiria stirpes caule elato insigniter folioso foliis valde divisus atque haud raro triternatis floribusque mediocribus affinitate artissima inter se iunctae; sed calcaria nunc perbrevia et circinnatim incurva Aquilegiae glandulosae, nunc lamina paullo breviora et manifesto incurva, uti haud raro sunt in Aquilegia Einseleana, nunc subrecta et lamina sublongiora Aquilegiae Moorcroftianae typicae. Neque forma illa, quae in montibus altissimis ad nivem deliquescentem nascitur et cui, auctore Bakero, Aquilegiam nivalem nomen dedit Falconer, variatione calcaris minus insignis; stirpes sunt humiles, foliis biternatis, foliolis margine sese obtegentibus reniformibus vel late rotundato-deltoideis, floribus saepius mediocribus, sepalis caeruleis vel violaceis, carpellis quinque, atque omnibus notis, calcaribus exceptis, ita inter se congruunt ut ne in varietates quidem divelli possint. Flores vero plurimi calcar habent crassiuscule conicum et vix incurvum formarum quarundam Aquilegiae alpinae; reliquorum autem calcaria nunc graciliora atque omnino Aquilegiae pyrenaicae, nunc brevia et circinnatim involuta uti in Aquilegia glandulosa; haec est forma cuius Hooker filius et Thomson in Flora imperii indici nomine Aquilegiae iucunda mentionem faciunt, neque revera ab Aquilegia iucunda Fischeri distingueda est nisi petalorum lamina truncata vel emarginata nec rotundata staminibusque saepius limbum subaequantibus. Quibus rebus expositis satis docuisse videmur calcarium figuram ad species indicas discernendas parvi momenti esse.

Jam vero parastemes propter eorum varietatem praetermittamus. Sed de carpellis pauca dicenda esse putamus. Pistilla autem staminibus longioribus 1–5 mm. breviora vel 4 mm. longiora in *A. pubiflora*, 2 mm. breviora vel 3 mm. longiora in *A. kunaorensi* suaveolenti, 4 mm. longiora vel 1 mm. breviora in *A. nivali*, 1 mm. longiora breviora in *A. oxysepala*, 2 mm. longiora vel 3 mm. breviora in *A. Moorcroftiana*, 1–5 mm. breviora vel fere 1 mm. longiora in *A. alpina*. Parvi igitur interest utrum stylus ultra stamina emineat an a staminibus supereretur.

Styli autem primum saepissime recti, sed pollen postquam ventorum insectorumque ope dispersum est, parte stigmatosa saepissime paullum dilatata, apex styli haud raro plus minusve manifesto recurvatur. Occurrunt styli apice recti ac plus minusve recurvi nec raro fere revoluti in Aquilegia nivali, vulgari, fragranti, et stylus Aquilegiae pubiflorae et Moorcroftianae nunc rectus nunc apice circinnatim curvatus invenitur.

Sed quoniam de carpellis, qualia sunt ante coniunctionem pollinis cum ovulis factam, insignia ad species distinguendas trahere non possumus, videamus num liceat notas ad discrimen utiles de carpellis maturis ducere. Et certe formae quaedam ab aliis quibusdam longitudine follicularum discerni possunt, uti *Aquilegia Skinneri*, cuius carpella matura inter *Aquilegia* longissima et fere 3·5 cm. longa distinctionem huius speciei et *Aquilegiae canadensis* reddunt facillimam. Sed primum demus enumerationem longitudinum follicularum, sequentes monographiam Bakeri et pollicis mensuram in millimetra commutantes:—

<i>A. Einseleana</i>	...	...	8-13 mm.
<i>A. viscosa</i>	...	...	... 13 mm.
<i>A. thalictrifolia</i>	...	...	vix 13 mm.
<i>A. pyrenaica</i>	...	...	... 13 mm.
<i>A. Bertolonii</i>	...	...	... 13 mm.
<i>A. Amaliae</i>	...	...	fere 13 mm.
<i>A. pubiflora</i>	...	...	12-16 mm.
<i>A. viridiflora</i>	...	...	12-19 mm.
<i>A. brevistyla</i>	...	...	... 13 mm.
<i>A. flavescens</i>	...	...	12-19 mm.
<i>A. Moorcroftiana</i>	...	...	15-19 mm.
<i>A. glauca</i>	...	...	... 19 mm.
<i>A. canadensis</i>	...	...	fere 19 mm.
<i>A. fragrans</i>	...	...	18-25 mm.
<i>A. parviflora</i>	...	...	ad 25 mm.
<i>A. leptoceras</i>	...	...	fere 25 mm.
<i>A. vulgaris</i>	...	...	fere 25 mm.
<i>A. sibirica</i>	...	...	fere 25 mm.
<i>A. formosa</i>	...	...	vix 25 mm.
<i>A. chrysantha</i>	...	...	fere 25 mm.
<i>A. glandulosa</i>	...	...	fere 25 mm.
<i>A. caerulea</i>	...	...	plus 24 mm.
<i>A. alpina</i>	...	...	25-30 mm.
<i>A. Skinneri</i>	...	...	... 35 mm.

Verum fieri potest ut, maiore stirpium fructiferarum copia perscrutata quam fere in herbariis inveniatur, magnitudo carpellorum magis variabilis reperiatur quam appareat ex illa tabella. Nam folliculi exemplarium quorundam sinensium *Aquilegiae oxysepala* 16-18 mm. sed in mandshuricis sunt 26 mm. longi; et carpella matura *A. pubiflora* et *A. Moorcroftiana*, illa 13-21 mm., haec 15-22 mm. longa animadvertis.

Atque folliculi *Aquilegiae pubiflora* saepissime sunt a medio valde recurvati uti in *A. olympica*; sed exemplaria etiam indica suppetunt,

quorum folliculi recti et paralleli sunt, ut in *A. oxysepala* et *A. caucasica*.

Quid igitur est? Nonne videmus omnia signa, quae ii, qui rerum herbariarum europearum periti sunt, ad discriminem specierum generis *Aquilegiae* adhibuerint, in stirpibus himalaicis et sinensibus fluxa esse atque omnino cadere? Nonne videmus *Aquilegiam* fragrantem, uti gradatim in *Aquilegiam* *Moorcroftianam* et *Aquilegiam* *kunaorense* suaveolentem transit, ita cum *Aquilegia pubiflora* artissimis affinitatum vinculis coniunctam esse? Nonne videmus formam illam raram et speciosam in iugis provinciae Garhwal ortam, quae ab *Aquilegia alpina* morphologice certe non seiungenda est, nihil aliud esse nisi varietatem *Aquilegiae kunaorense*? Nonne videmus *Aquilegiam* nivalem quae ipsa, et recte quidem, a Bakero varietas *Aquilegiae glaucae*, id est *Moorcroftiana* existimatur, non solum *Aquilegiam* pyrenaicam omnibus rebus imitari, sed etiam *Aquilegiae* iucundae quam proxime appropinquare? Nonne verisimile est stirpes illas quae in valle Nila una cum *Aquilegiae pubiflorae* stirpibus crescunt, sed propter figuram calcarium indumentumque caulis atque foliorum ad varietatem Karlini *Aquilegiae vulgaris* referendae sunt, nihil aliud esse nisi formas *Aquilegiae pubiflorae*, quae, quasi atavismo, ut ita dicam, ad parentem *Aquilegiam vulgarem* spectent? Si vero folia, calcaria, fructus, reliquae denique partes stirpium himalaicarum atque sinensium ita variabilia evadant, ut eandem varietatem floribus nunc *Aquilegiae pyrenaiae*, nunc *Aquilegiae iucundae*, nunc *Aqniliegiae alpinae* ornatam inveniamus, nonne notae, quibus *A. Einseleana*, *Bertolonii*, *nigricans*, *discolor*, *Ebneri*, *atrata*, aliaeque internoscuntur, nimis viles ad species discernendas videantur? Cognitio igitur varietatum *Aquilegiarum indicarum* ac sinensium nos in eandem sententiam adducit, ad quam abhinc multos annos\* Hooker filius et Thomson scrutatione specierum europaearum aliarumque perducti fuerunt: *Aquilegiam vulgarem*, *alpinam*, *glandulosam*, *viscosam*, *pyrenaicam*, *Moorcroftianam*, *pubiforam*, aliasque complures speciem unam efficere, insigniter quidem variabilem et propter formas plures in propinquas sensim sensimque transeuntes aegre in subspecies ac varietates distribuendam. Sed quoniam multas species ad unam redigendas esse demonstravimus, formas cunctas quas ab *Aquilegia vulgaris* non seiungendas esse putamus enumerare oportet. Sunt autem haec—

*A. alpina Lin.*

*A. kunaorense Camb.*

*A. Amaliae Heldr.*

*A. lactiflora Kar. et Kir.*

*A. atrata Koch.*

*A. leptoceras Fisch. et Mey.*

\* Flora Indica, p. 44, 45, (1855).

- A. aurea *Janka.*  
A. Bauhini *Schott.*  
A. Bernardi *Gren.*  
A. Bertolonii *Schott.*  
A. caucasica *Rupr.*  
A. dinarica *Beck.*  
A. discolor *Lev. et Ler.*  
A. Ebneri *Zimtr.*  
A. Einseleana *Schulz.*  
A. fragrans *Benth.*  
A. Fussii *Zimtr.*  
A. Gebleri *Besser.*  
A. glandulosa *Fischer.*  
A. glauca *Linell.*  
A. grata *Maly.*  
A. iucunda *Fischer.*  
A. Kitabelii *Schott.*
- Hae formae ita in subspecies varietatesque disponendae videntur—
- I. A. oxysepara' *Trautv.*  
a. mandshurica *P. B.*"  
β. kansuensis *P. B.*"
- II. A. vulgaris' typica *Lin.*  
a. caucasica *Ledebour.*"  
β. olympica" *Boiss.*,  
γ. Bernardi" *Gren.*,  
δ. longisepala" *Zimtr.*  
ε. atrata" *Koch.*  
ζ. Karelini *Baker.*"  
η. varia *Maly.*"  
θ. recticornu *P. B.*"  
ι. Ebneri" *Zimtr.*  
κ. dinarica" *Beck.*  
λ. eynensis *P. B.*"  
μ. paraplesia" *Schur.*  
ν. nigricans" *Baumgt.*
- III. A. alpina' *Lin.*  
a. typica.  
β. himalaica *P. B.*"
- IV. A. Bertolonii' *Schott.*
- V. A. viscosa' *Gouan.*  
a. Einseleana" *Schulz.*  
β. thalictrifolia" *Schott.*
- A. longisepala *Zimtr.*  
A. Moorcroftiana *Wall.*  
A. nevadensis *Boiss.*  
A. nigricans *Baumgt.*  
A. nivalis *Falc.*  
A. olympica *Boiss.*  
A. Ottonis *Orph.*  
A. oxysepara' *Trautv.*  
A. paraplesia *Schur.*  
A. pubiflora *Wall.*  
A. pyrenaica *DC.*  
A. Reuteri *Boiss.*  
A. Sternbergii *Rchb.*  
A. subalpina *Bor.*  
A. sulphurea *Zimtr.*  
A. transsilvanica *Schur.*  
A. viscosa *Gouan.*
- β. discolor" *Levier et Ler.*
- VIII. A. nivalis' *Falconer.*  
a. paradoxa *P. B.*"  
β. saccocentra *P. B.*"
- IX. A. glandulosa' *Fisch.*  
a. iucunda" *Fisch.*  
β. genuina.  
γ. sulphurea" *Zimtr.*  
δ. transsilvanica" *Schur.*  
ε. Gebleri" *Besser.*
- X. A. Moorcroftiana' *Wall.*  
a. fragrans" *Benth.*  
β. Winterbottomiana *P. B.*"  
γ. suaveolens *Camb.*"  
δ. glauca" *Lindl.*  
ε. kunaorensis" *Camb.*  
ζ. Wallichiana" *Herb. Calc.*  
η. afghanica *P. B.*"  
θ. subaphylla *P. B.*"
- XI. A. leptoceras' *Fisch. et Mey.*
- XII. A. lactiflora' *Kar. Kir.*
- XIII. A. pubiflora' *Wall.*  
a. Cunninghami *P. B.*"  
β. Massuriensis *Royle.*"

- |  |                                      |
|--|--------------------------------------|
| <b>γ.</b> <i>Kitaibelii</i> " <i>Schott.</i> | <b>γ.</b> <i>subnuda P. B."</i>      |
| <b>VI.</b> <i>A. grata' Maly.</i>            | <b>XIV.</b> <i>A. Ottonis' Orph.</i> |
| <b>VII.</b> <i>A. pyrenaica' D. C.</i>       | <b>a.</b> <i>typica.</i>             |
| <b>a.</b> <i>genuina.</i>                    | <b>β.</b> <i>Amaliae" Heldr.</i>     |

Affinitates autem in tabula tertia exhibitae sunt.

SUBSPECIES, VARIETATES, SUBVARIETATESQUE  
AQUILEGIAE VULGARIS *Linn.*

**I. Aquilegia oxysepala' Trautv. (1847)**

(*Aquilegia vulgaris* var. *oxysepala* *Regel* *Flor. Ussur.* *A. oxypetala* *Franchet*, *Pl. Dav.*, *Pl. Delav.*),

foliis basilaribus binternatis, foliolis incisoscrenatis terminali rhomboe **v.** cuneato-obovato, foliis caulinis sparsis, inflorescentia (1-) 2–10-flora, alabastris subcylindricis, sepalis erectopatulis lanceolatis acuminatis 17–30 mm. longis vinosobrunneis, petalis rotundato-truncatis lamina albida calcaribus laminae subaequilongis uncinatim incurvis, staminibus petalorum apicem haud attingentibus, carpellis hirtis, folliculis cylindricis sine stylo 16–26 mm. longis.

Area geographica—Sibiria orientalis, Mandshuria, China propria borealis et occidentalis.

*var. a. mandshurica P. B.*,

foliolis terminalibus foliorum basilarium 4–5 cm. longis, sepalis 27–30 mm. longis 10–12 mm. latis, parastemonibus acutissimis vix v. haud undulatis, folliculis sine stylo 25–28 mm. longis. *Mandshuria, China borealis, Siberia orientalis.*

*var. β. kansuensis P. B.*,

sepalis 15–25 mm. longis 5–7·5 mm. latis, parastemonibus oblongo-lanceolatis acutis conspicue crispule undulatis folliculis sine stylo 12–19 mm. longis. *Kansu, Hupeh, Setchwan, Yunnan.*

*subvar. aa.* inflorescentia 3–10 flora foliolis intermediis fol. bas 4–6 cm. longis. Vidi exemplaria ex *Hupeh* (*Henry*) et *Setchwan* (*Pratt*) allata.

*subvar. ββ.* inflorescentia 1–3 flora foliolis intermediis 16–25 mm. longis. *Hupeh* (*Henry*!).

**Descriptio subspeciei.**

Rhizoma descendens, irregulariter cylindricum, collo reliquiis foliorum plus minusve in fibrillas solutis vestitum, atrobrunneum, caulem solitarium edens, 3–15 mm. crassitudine.

Caulis erectus simplex v. superne ramosus teres leviter sulcatus fistulosus, florifer (20–) 40–70 cm. altitudine basi 2–6 mm. crassitudine, plus minus puberulus.

Folia basilaria longissime petiolata sed caule florifero multo breviora 12–30 cm. longa; petiolus basi in vaginam late lanceolatam margine membranaceam 5–35 mm. longam convergentim plurinerviam dilatatus leviter canaliculatus 2–20 cm. longus puberulus v. subglaber 0.8–2 mm crassitudine; lamina bitemnata; petioluli primarii graciles glabri v. puberuli, medio 15–70 mm. longo laterales  $\frac{2}{3}$ – $\frac{8}{9}$  medii longitudine; foliola membranacea viridia infra pallidiora tenuiter nervosa, terminale longe petiolatum v. subsessile circumscriptione rhombeum v. cuneato-obovatum interdum subrotundum 15–60 mm. longum latitudine  $\frac{4}{5}$ – $\frac{1}{2}$  longitudinis basi late cuneatum rarius subrotundatum fere ad medium rarius ad duo partes trilobum, lobo medio obovato saepe late cuneato apice crenis grossis tribus inciso, lobis lateralibus breviter oblongis inaequaliter inciso-crenatis, petiolulo 1 cm. longo v. subnullo; foliola lateralia breviter v. saepius brevissime petiolulata v. plane sessilia trapezoidea asymmetrice lateque cuneata v. obscure semicordata ad medium v. infra medium inaequaliter biloba, lobis paucicrenatis v. intermedio plus minus profunde bilobulata.

Folia caulina intermedia sparsa sursum gradatim magnitudine decrescentia breviusque petiolata basilaribus subconformia; superiora subsessilia saepe profunde tripartita partitionibus lanceolatis, summa parva tripartita v. bracteiformia lanceolata integra.

Inflorescentia raro uniflora saepissime 2–10 flora laxissima. Pedunculi graciles longitudine varia teretes apicem versus pilis patentissimis dense pubescentes. Flores mediocres v. mainsculi suberecti. Alabastri subcylindrici.

Sepala erecto-patentia membranacea lanceolata acuminata nervis ramosis tribus percursa basi longe cuneata v. abrupte constricta apice acuta 17–30 mm. longa latitudine  $\frac{5}{6}$ – $\frac{2}{3}$  longitudinis, dorso parce puberula v. glabra, vinoso-brunnea, petala 5–11 millimetris superantia. Petalorum lamina oblonga apice rotundato-truncata 12–15 mm. longa, albida; calcar a basi conoidea sensim in apicem anguste subcylindricum attenuatum uncinatum incurvum (raro subrectum?) apice nectarifero subcapitatum, in flore aperto distantia inter punctum insertionis et partem infimam calcaria quam lamina 1 mm. longiore v. paulo breviore. Stamina modice numerosa apicem petalorum haud attingentia; filamenta longiora 7–10 mm. longa, lanceolato-linearia; antherae oblongae, 1–2 mm. longae, flavae v. fusco-viridescentes. Parastemones scariosi ovato-lanceolati apicem versus acutati marginibus plani v. crispule undulati 6–9 mm. longi, pistillis circiter 2 mm. breviores. Pistilla 5, erecta, 9–11 mm. longa; ovaria subcylindrica, in stylum graciliter subulatum subaequilongum sensim attenuata, cum parte inferiore styli dense patentissimeque hirta. Folliculi (4–) 5 chartacei paralleli cylindrici, stylo subulato 5–6 mm. longo rostrati, venis transversis crebris plus minus anastomosantibus conspicue reticulati, hirti, sine stylo 13–26 mm. longi crassitudine  $\frac{1}{5}$ – $\frac{1}{2}$  longitudinis. Semina numerosa oblongo-obovoidea sectione transversa subtriangularia dorso curvata ventre carinata, circiter 2.5 mm. longa, nigra, nitida rarius subopaca, creberrime minuteque punctulata.

*Aquilegia hybrida Sims*, nisi revera forma hibrida ex *A. canadensis* et *A. vulgari* sit, quod dubium est quoad stirpes e seminibus sibiricis in horto dorpatensi natas, *A. oxysepala*' foliis, colore florum, forma alabastri, sepalorum directione valde affinis videtur, et vix dubitandum quin varietas sit huius subspeciei calcaribus subrectis praedita.

II. *Aquilegia vulgaris Lin.*subspecies *typica*

(*Aquilegia vulgaris* subsp. I, *H. f. et T.* in F. B. I.; *Aquilegia vulgaris* Zimmeter No. 1, Baker No. 18; *Aquilegia Ebneri* Zimmeter; *A. nigricans* Baumgt., *A. Sternbergii* Rchb., *A. Haenkeana* Koch; *A. atrata* Koch; *A. caucasica* Rupr.; *A. olympica* Boiss.; *A. paraplesia* Schur; *A. longisepala* Zimmeter; *A. dinarica* Beck; *A. subalpina* Boreau; *A. Bernardi* Gren.; *A. glaucophylla* Steud.),

foliis basilaribus bitemnatis, rarissime ternatis, foliolis terminalibus cuneato-obovatis v. reniformibus rarius rhombeis, foliis caulinis sparsis magnitudine varia, inflorescentia (1-) 2–15 flora, sepalis stellatim patentibus ovatis v. ovato-lanceolatis 18–38 mm. longis, calcaribus lamina rotundato-truncata rarius obtusa paullo longioribus rarius sub-duplo brevioribus, staminibus petala 1–3 rarius 3–8 mm. superantibus, carpellis hirtis, folliculis e basi ovoidea apicem versus attenuatis sine stylis 18–24 mm. longis. Area geographica—Sibiria, Altai, Thian-Shan, Ferghana, Himalaya occidentalis, Caucasus, Armenia, Europa fere tota, Mons Atlas.

## Varietates.

var. *a. caucasica* Ledebour'',

(*A. caucasica* Rupr.), caule 50–90 cm altitudine, ramoso folioso glanduloso-pubescenti, foliis basilaribus bitemnatis, foliolo medio longiuscule petiolato basi cuneato ad medium trilobo, lateralibus sessilibus v. breviter petiolulatis profunde bilobis, lobis rotundato-crenatis, foliis caulinis inferioribus basilaribus subconformibus sed brevius petiolatis, superioribus trifoliolatis foliolis bi v. trifidis v. integris, summis linearibus, floribus fere magnitudine var. typicae, sepalis cyaneis ovato-oblongis in apicem acutum acuminatis, petalorum lamina albida apice truncata, calcaribus e basi late conoidea subulatis, hamatis staminibus stylisque limbum attingentibus, folliculis parallelis, e basi ovoidea attenuatis, sine stylo circiter 2 cm. longis, seminibus nitidis microscopice punctulatis.—Caucasus.

var. *β. olympica*'' Boiss.,

uti var. *a*, sed folliculi usque a medio divergentim recurvi et semina opaca granulata.—Armenia, Persia bor.

var. *γ. Bernardi*'' Grenier,

caule 50–70 cm. altitudine superne ramoso 3–7 floro, foliis basilaribus magnis varietatis typicae (variae), sepalis late ovatis, petalorum lamina apice rotundato-truncata, calcaribus lamina sub-duplo brevioribus gracilibus hamatis, staminibus lamina multo brevioribus.—Corsica.

*var. δ. longisepala*" Zimmeter,

(A. longisepala, Zimmeter No. 4), caule folioso 40–70 cm. altitudine superne glanduloso-pubescenti, foliis binternatis glabris viridis, foliolis magnis (ad 50 mm. longis) cuneatis divergentibus ad quartam tertiamve partem trilobis, floribus saturate caeruleis, sepalis lanceolatis fere 38 mm. longis, petalorum lamina apice truncato-rotundata fere 1 cm. longa calcaribus lamina duplo longioribus uncinatim incurvis, staminibus laminam fere 5 millimetris superantibus.—Hungaria, Croatia.

*var. ε. atrata*" Koch,

(A. atrata Koch, A. nigricans Rchb. et Zimmeter nec Baumg.), caule superne ramoso folioso 35–80 cm. altitudine, foliis binternatis foliolis fol. bas. subsessilibus v. saepius manifesto petiolulatis glabris v. saepius infra puberulis v. subdense pubescentibus intermedio ad quartam partem v. ultra medium 3-lobo, lobo intermedio breviter oblongo v. cuneato-ovato, floribus purpureo-violaceis rarius caeruleis, sepalis 18–32 mm. longis, petalorum lamina apice truncata raro rotundata 11–14 mm. longa, calcaribus quam lamina 2–5 mm. longioribus, staminibus in columnam subcylindricam petala (3–) 5–10 millimetris superantem associatis, stylo apice recto v. recurvo antheras saepe haud attingente, folliculis var. typicae.—Alpes, Jura, Silva bavarica, Transilvania; Thian Shan in montibus Alexandrinis?

*var. ξ. Karelini Baker*" (A. Sternbergii? Kar. Kir),

caule 60–80 cm. altitudine folioso plurifloro, uti petioli petiolulique, usque a basi dense glanduloso-hirti, foliis basilaribus aut binternatis foliolisque ad medium v. magis profunde tripartitis aut plane triternatis, foliolis tenuiter membranaceis puberulis, crenaturis obtusis, foliis caulinis inferioribus basilaribus subconformibus floralibus superioribus trifoliatis v. trisectis segmentis lanceolato-oblongis et lanceolatis, floribus puberulis, sepalis 20–24 mm. longis (in sibiricis longioribus) ovato-lanceolatis versus apicem obtusum acuminatis, calcare uncinatim incurvo laminae 11–13 mm. longae apice truncatae subaequongo, antheris limbum vix attingentibus, parastemonibus late linearibus apice obtusiusculo apiculato minute hirtulis, pistillis 5–7 stamina haud superantibus dense glanduloso-hirtis, stylo ovarii breviore (descriptio ad exemplaria indica refert). Floret Iunio, Iulio.

Area geographică—Altai australis, Ala-tau, Thian-shan, Ferghana, Yarkand (?), Himalaya occidentalis. Specimina vidi in valle Nila provinciae Garhwal alt. 8–9000' a Duthieo lecta.

*var. η. varia Maly*" (*Aquilegia vulgaris typica et Aquilegia subalpina Boreau, Zimmeter No. 1*),

caule 35–120 cm. altitudine basim versus glabro v. vix puberulo manifesto folioso, foliis caulinis inferioribus basilaribus subconformatibus, foliolis fol. bas. infra subglabris v. densiuscule pubescentibus, foliolo medio saepe petiolulato ad tertiam partem v. fere ad medium trilobo rarius tripartito 25–50 mm. longo lobo medio cuneato-obovato v. transverse oblongo lateralibus saepius oblique obovatis, floribus caeruleis interdum albis, sepalis 22–32 mm. longis apice acutiusculo late acuminatis, petalorum lamina rotundato-truncata v. retusa, staminibus petala subaequantibus v. 1–3 millimetris superantibus, calcaribus  $\frac{4}{3}$ – $\frac{3}{2}$  laminae longitudine, stylo apice recto v. leviter recurvo.

Area geographica—Yarkand (?), Sibiria, Europa, mons Atlas.

*var. θ. recticornu P. B.*",

caule elato folioso plurifloro, foliis caulinis fere omnibus biternatis vel ternatis, foliolo fol. bas. medio lato trifido v. tripartito partitionibus divergentibus linearis-oblongis longe cuneatis inciso-crenatis crenis obtusis, sepalis oblongis subobtusis circiter 2 cm. longis, petalorum lamina 10–13 mm. longis apice rotundato-truncatis, staminibus limbum attingentibus v. 3 mm. superantibus, calcaribus subulatis rectis v. vix incurvis laminam subaequantibus. Vidi exemplaria in herbario Kurzii e Bavaria missa; calcaria in formis norwegianis etiam leviter incurvata inveni.

*var. ε. Ebneri*" *Zimtr.* (*Aquilegia Ebneri, Zimmeter No. 2*),

caule basim versus glabrescente 25–40 cm. altitudine, foliis bas. biternatis, foliis caulinis inferioribus trifoliolatis v. triseptis, foliolis sessilibus v. breviter petiolulatis infra dense pubescentibus medio 19–22 mm. longo fere ad tertiam partem trilobo lobo medio cuneato-obovato, floribus 2 v. 4 rubescens-caeruleis, sepalis ovato-oblongis circiter 18 mm. longis, petalorum lamina rotundato-truncata circiter 9 mm. longa, calcaribus lamina circiter 6 mm. longioribus hamatis, staminibus petala paullo superantibus, stylo apice uncinato.—Styria.

*var. κ. dinarica*" *Beck* (*A. dinarica Beck in Ann. Hofmus.*),

caule 1–2-floro, ad 20 cm. altitudine, usque a basi uti petioli pilis patentibus glanduliferis obsito, foliis pubescentibus basilaribus ternatis foliolis conspicue petiolulatis subcordatis tripartitis rarius triseptis partitionibus inciso-crenatis, floribus pilosis, sepalis ovato-oblongis 2–3 cm. longis, albis v. caerulecentibus patentibus, petalorum lamina caerulecenti rotundato-truncata 11–20 mm. longa

calcaribus graciliter conicis hamato-incurvis laminae subaequiflora, staminibus fere laminae longitudine, stylis quam ovaria paulo brevioribus.—Bosnia.

*var. λ. eyensis P. B.*"

caule fere ad apicem usque simplici 2–3 floro 25–35 cm. altitudine ut petioli basim versus parce hirta sub floribus glanduloso-pubescenti; foliis bas. bitemnatis, petiolis 5–10 cm. longis, petiolulis primariis 15–30 mm. longis foliolis breviter petiolulatis v. sessilibus aut subglabris aut utrinque dense pubescentibus basi obtusis, medio subrotundo v. fere reniformi 15–18 mm. longo fere ad medium trilobo lateralibus oblique reniformibus profunde bilobis, lobis crenatis aut bi v. trilobulatis, crenis integerrimis v. paucicrenulatis obtusis v. rotundato-truncatis; folio caulinum infimo a basi remoto ternato, foliolis tripartitis partitionibus crenato-incisis; foliis superioribus 2 v. 3, trifoliolatis, foliolis oblongo-lanceolatis pedunculari linearis, sepalis 23–26 mm. longis late ovatis acutis unguiculatis, petalorum lamina truncata v. retusa 10–13 mm. longa, calcaribus uncinatim incurvis quam lamina 1–4 millimetris longioribus, staminibus limbum attigentibus, parastemonibus linearis-lanceolatis ovariis paullo longioribus, stylis apice recurvis antheras vix attingentibus.

Vidi exemplaria pyrenaica in valle d' Eynes lecta. Flos omnino A. vulgaris typicæ, sed differt caule subsimplici haud conspicue folioso foliis foliolisque minoribus; ab A. Bertolonii folio caulinum infimo basilaribus subconformi (et ab iis remoto), lamina petalorum plane truncata v. retusa distinguenda. An A. pyrenaica var.  $\beta$ . decipiens Grenier et Godron, cuius calcaria dicuntur paullum curvata et lamina retusa; an A. vulgaris var. hirsutissima quam Lespeyres in Flora Pyrenaica nasci scribit ad 'Font de Comps'?

*var. μ. paraplesia*" Schur (A. paraplesia Zimmeter No. 6),

caule 20–30 cm. altitudine basim versus glabrescente subnudo 2–3 floro, foliis basilaribus bitemnatis, foliolis sessilibus glabris medio basi cuneato ad tertiam partem trilobo, floribus rubescen- caeruleis (atroviolaceis), sepalis ovato-lanceolatis acutis circiter 32 mm. longis petalorum limbum rotundato-truncatum fere 18 mm. superantibus, staminibus calcaribusque lamina longioribus stylisque limbum attingentibus.—Transsilvania.

*var. ν. nigricans*" Baumgarten (A. nigricans Bmg. = A. Sternbergii Rchb., Zimmeter No. 7, = A. Haenkeana Koch),

caule 25–40 cm. altitudine 1–5 floro basim versus glabrescente, foliis bitemnatis, foliolis fl. bas. saepissime subsessilibus sessilibusque glabris v. vix puberulis, medio ad quartam tertiamve partem trilobo

basi late cuneato, lobo medio breviter oblongo v. cuneato-obovato, folio caulinō infimo basilaribus saepius subconformi, superioribus subsessilibus trifoliolatis trisectisae profunde incisis, floribus azureis v. dilute caeruleis v. lilacino-purpureis, sepalis 27–34 mm. longis, petalorum lamina apice rotundato-truncata v. obtusa 13–15 mm. longa, calcaribus hamato-incurvis quam lamina 3–10 millimetris longioribus, staminibus laminam 1–3 mm. superantibus, stylis apice recurvis v. rectis.—Alpes, Transsilvania.

Sunt in herbariis indicis exemplaria in Gilgit et Kunáwar lecta quae sunt valde similia *A. nigricanti*; sed calcaria sunt paullo minus incurva et laminam 1–3 millimetris tantum superant; revera formae *A. Moorcroftiana*' Wall.

### Descriptio subspeciei.

Rhizoma descendens fusiforme irregulariter cylindricum interdum pluriceps, cortice nigra v. brunnea, collo petalarum reliquias vestitum et 5–20 mm. crassitudine, caules 1–3 edens. Caulis erectus superne ramosus raro simplex teres v. obscure angulatus laevis v. leviter sulcatus florifer 25–120 cm. altitudine, sparse foliosus interdum subnudus, aut totus pilis crispulis v. patentissimis plus minus glandulosis obsitus aut basim versus glabrescens, nunc sine viscositate nunc insigniter viscosus. Folia basilaria conferta longissime petiolata caule florifero manifesto breviora (8–) 20–35 cm. longa; petiolus basi in vaginam lanceolatam membranaceam 7–30 mm. longam et pro ratione petioli brevem convergentim plurinerviam dilatatus supra canaliculatus 5–30 mm. longus, 1–3 mm. crassitudine, glaber v. puberulus v. glanduloso-hirtus; lamina biternata, rarius ternata atque foliolis trisectis v. tripartitis; petioli primarii tenuiter sulcati v. esulci, canaliculati, terminalis (1–) 4–9 cm. longus, 0·8–1·5 mm. crassitudine, laterales  $\frac{3}{5}$ – $\frac{2}{3}$  terminalis longitudine; foliola membranacea interdum textura firmiore viridia infra pallidiore v. glauca tenuiter nervosa supra glabra v. puberula infra glabra v. puberula v. dense pubescens; terminale longiuscula petiolulatum rarius sessile circumscriptione breviter cuneato-obovatum v. subrhombium v. reniforme basi obtusa v. rarius acuta late v. subanguste cuneatum v. subrotundatum, (10–) 15–50 mm. longum latitudinis  $\frac{3}{4}$ – $\frac{4}{5}$  longitudinis, ad quartam v. tertiam partem palmatum trilobum v. ad medium v. ad tres partes tripartitum raro (in ternatis) trisectum, lobo medio cuneate lateque obovato v. rotundo v. breviter lineari-oblongo apice grosse crenato, crenis tribus, rarius trifido, lacinias crenisve apice obtusis v. retusis integerrimis v. paucicrenulatis; lobis lateralis breviter oblongis v. oblique ovatis obovatibus inaequaliter bifidis v. bilobulatis v. grosse crenatis; foliola lateralia oblique abovata v. rotundato-trapezoidea breviter petiolulata v. sessilia inaequaliter biloba v. bipartita, lobo interno bi v. trilobulato v. fisso, externo semel crenato-inciso crenatove lobis crenisve crenulatis v. integerrimis.

Folia caulinā inferiora, si adsunt, pauca basilaribus subconformatia sed brevius petiolata, superiorum petioli brevissimi saepe ad vaginam brevem reducti, folia summa saepe trifoliolata v. trisepta foliolis mediocribus v. parvis saepe ovato-oblongis v. lanceolatis integerrimis v. parce incisis; folia peduncularia, si adsunt, bracteiformia parva lanceolata. Inflorescentia rarius uniflora saepissime racemosa

v. paniculato-corymbosa et 2-15 flora, ramis patentibus v. erecto-patulis; pedunculi 3-9 cm. longi puberuli v. pilis brevibus patentissimis densissime pubescentes hand raro visciduli. Flores saepius maiusculi, caerulei v. caeruleo-violacei v. purpurei, rarius albi v. atro-purpurei. Sepala ovata v. ovato-lanceolata basi saepe abrupte in unguem constricta apicem versus cuneato-acutata v. breviter acuminata, apice acuto, nervis ramosis 3 percursa, 22-35, rarius 18 v. fere 40 mm. longa latitudine  $\frac{1}{3}$  -  $\frac{1}{2}$  longitudinis, petala 12-22 milimetris excedentia raro iis vix longiora, dorso glabra v. plus minus pubescentia. Petalorum lamina dorso pilosula v. glabra oblonga apice rotundato-truncata obtusa v. retusa raro plane rotundata 9-15 mm. longa; calcar conicum sed apicem versus sensim subcylindricum et uncinatim incurvum rarissime subrectum apice nectarifero capitatum, distantia a puncto insertionis ad partem infimam calcaris 10-19 mm. quam lamina saepissime 1-5 (-8) mm. longior raro subbrevior v. subdupo brevior. Stamina numerosa inaequilonga petala 1-3 rarius 3-10 mm. superantia v. iis vix breviora; filamenta e basi dilatata gradatim angustata; antherae oblongae muticae 1-2 mm. longae. Parastemones lanceolati v. lanceolato-lineares apice acuti apiculati ovaria 1-3 mm. superantes margine plus minus undulati, interdum antheris parvis instructi. Pistilla 5-7, erecta, 12-18 mm. longa, stamina vix superantia v. iis rarius paululo breviora; ovaria cylindrica 3-6 mm. longa in stylum sensim v. subabrupte attenuata dense hirta; stylus filiformis apice rectus v. plus minus recurvus, ovarii saepissime 2-5 mm. longior raro iis fere aequalis. Folliculi saepissime 5, chartacei, erecti, paralleli rarius a medio divergentim recurvi, e basi ovoidea recurvo-attenuati, stylo filiformi 7-10 mm. longo rostrati, nervis obliquis creberrimi plus minus anastomosantibus conspicue reticulati, sine stylo 18-25 mm. longi. Semina numerosa oblongo-obovoidea, sectione transversa subtriangularia, dorso modice curvata, ventre carinata, nigra v. raro atro-brunnea, nitida v. rarius subopaca et granulata, 2-2.5 mm. longa, crebre minutissimeque punctulata.

### Tabella ad varietates *Aquilegiae vulgaris* typicae determinandas.

- I. Caulis saepius conspicue foliosus ramosus altitudine 35-120 cm., folia caulina inferiora basilaribus subconformia saepe fere eadem magnitudine sed breviter brevissimeve (rarius longiuscule) petiolata, flores 3 v. saepius plures.
  - A. Flores discolores sepalis cyaneis v. lilacinis (25-35 mm. longis ovato-acuminatis), petalorum lamina alba, calcaria non capitata.
    - A. *caucasica* Ledeb.
    - B. Folliculi paralleli subrecti, semina nitida subtilissime punctulata.
      - A. *olympica*" Boiss.
  - B. Flores concolores, calcaria plus minus distinete capitata.
    - A. Stamina petalorum lamina multo breviora, calcar lamina subdupo brevius.
      - A. *Bernardi*" Grenier.
      - B. Stamina pet. limbum fere attingentia v. eo conspicue longiora.
        - a. Sepala pet. lamina fere triplo longiora ovato-lanceolata latitudine vix  $\frac{1}{3}$  longitudinis (circiter 38 mm. longe 12 mm. lata violacea-caerulea, stamina limbum 5 mm. superantia).
          - A. *longisepala*" Zimtr.

- b. Sepala pet. lamina subdupo longiora latitudine  $\frac{2}{3}$ — $\frac{3}{4}$  longitudinis.
  - a. Stamina petalorum limbum 3—10 mm. superantia in columnam subcylindricam associata et si 3 mm. tantum longiora flores atro-purpurei (purpureo-violascentes), caeteroqui flores saepius atro-purpurei rarius caerulei.

**A. atrata'' Koch.**

- b. Stamina petalorum limbum fere attingentia v. eum 3 mm. superantia, flores colore vario.
  - a. Caulis usque a basi, uti petioli petiolulique, dense glanduloso-hirtus. Flores purpurei v. cinnamoneo-rubescentes.
- β. Caulis basim versus glaber v. vix puberulus, flores caerulei.
  - αα. Calcar uncinatum incurvum.

**A. varia Maly''.**

- ββ. Calcar subrectum v. leviter incurvum.

**A. recticornu P. B.''**

- II. Caulis 20—35 raro 40 cm. altitudine, aspectum subnudum praebens propter folia caulinis basilaribus saepissime manifesto minora, infimo saepe a basi remoto. Flores 1—2 rarius 3 rarissime 4.

- A. Sepala circiter 18 mm. longa, folia infra dense pubescentia.

**A. Ebneri'' Zmtr.**

- B. Sepala plus 20 mm. longa.

- Α. Caulis a basi, uti petioli petiolulique, pilis glanduliferis obsitus, sepala alba v. caerulescentia, folia plura ternata.

**A. dinarica'' Beck.**

- Β. Caulis basim versus parce hirtus v. glaber, flores violacei v. caerulei v. rubescentsi-cyanei.
  - a. Caulis basim versus parce hirtus, foliola subtus subglabra v. utrinque dense pubescentia, sepala 23—27 mm. longa.

**A. eynensis P. B.''**

- b. Caulis basim versus glaber v. puberulus, foliola glabra v. infra vix puberula, sepala (27—) 30—35 mm. longa.

- α. Flores cyaneo-rubescentes, sepala petalorum limbum circiter 18 mm. superantia, stamna limbum vix attingentia.

**A. paraplesia'' Schur.**

- β. Flores caerulei rarius purpureo-lilacini, sepala petalorum limbum 6—15 mm. superantia, stamna limbum 1—3 mm. superantia.

**A. nigricans'' Bmg.**

- III. **Aquilegia alpina' Lin.** (*Aquilegia vulgaris* subsp. *alpina H. f. et T.* in F. B. I. ex parte. *Aquilegia alpina Lin.*; *Allioni*, Flor. Ped. tab. LXVI; *Reichb.* Flor. Germ. tab. CXIX.),

foliis basilaribus omnibus v. pluribus biternatis, foliolis margine sese plus minus obtegentibus terminali reniformi v. suborbiculari fere ad medium trifido v. profundius tripartito, laciniis crenato-incisis, folio caulinio infimo petiolato foliolis saepius in lacinias magis dis-

tincte lineares incisis, floribus subconcoloribus caeruleis 32–45 mm. longis late ovatis, calcare crassiuscule conico subrecto v. manifesto incurvo quam lamina truncato-rotundata paullo breviore v. longiore staminibus lamina 2–6 mm. brevioribus, carpellis 5, folliculis 25–30 mm. longis.

Area geographica—Alpes, Apennini boreales, (Pyrenaei montes?), Himalaya occidentalis.

*var. a. typica*, pistillis antheras vix v. haud attingentibus.

*var. β. himalica* P. B., pistillis antheras 2–3 mm. superantibus.

Forma affinis A. Moorcroftiana Wall. var. suaveolenti et A. nivali *Falc.*

*var. saccocentrae*. Garhwal (*K!*).

Formae etiam occurunt in Himalaya occidentali et in Gilgit, quae mediae sunt inter A. alpina Lin. et A. Moorcroftiana Wall.

### Descriptio Subspeciei.

Rhizoma fusiforme v. subcylindricum, descendens, vaginis foliorum fusorum plus minus tectum, collo 2–6 mm. crassitudine, caulem solitarium edens.

Caulis teres erectus rectus v. vix flexuosus simplex v. rarius superne parce ramosus manifesto sulcatus v. esculcus, florifer 20–40 cm. altitudine, prope basim 1·5–4 mm. crassitudine, plus minus foliosum, inferne glabrescens v. hirtulus, sub flore dense minuteque glanduloso-hirtus.

Folia basilaria longissime petiolata caule manifesto breviora (5–) 10–25 cm. longa; petiolus basi in vaginam membranaceam late v. anguste lanceolatam convergentim nervosam 1–2 cm. longam et pro ratione petioli per breve dilatatus, lamina sessilis quilonigra v. quadruplo longior, supra sulcatus subteres, supra vaginam 1–3 mm. crassitudine, puberulus; lamina biternata, v. folii infimi ternata sed foliolis fere ad basim tripartitis; petioluli primarii tenues v. subcrassi supra tenuiter canaliculati 0·5–1 (–2) mm. crassitudine, terminalis 16–30 (–40) mm. longus, laterales  $\frac{3}{5}$ – $\frac{6}{7}$  terminalis longitudine; foliola membranacea viridia, infra pallidiora, glabra v. vix hirtula marginibus plus minus sese obtegentia, terminale breviter petiolulatum v. sessile circumscriptione subreniforme v. suborbicularare, aut versus basim obtusam subcuneatum aut basi subtruncatum, 12–40 mm. longum, latitudine  $\frac{1}{2}$ – $\frac{5}{6}$  longitudinis, saepius fere ad medium trifidum v. ad tres partes tripartitum, lacinia media obovato-oblonga basim versus cuneata latitudine  $\frac{3}{4}$ – $\frac{5}{6}$  longitudinis, apice crenato-incisa, crenis saepè parce crenulatis, laciiniis lateralibus late obliqueque obovatis v. breviter longiusculeve lineari-oblongis inaequaliter crenato-incisis raro integris, lacinula externa breviter oblonga apice subrotundata saepè crenula instructa, lacinula interna saepè crenis tribus instructa; foliola lateralia rarius fere symmetrica atque terminali conformia, saepius asymmetrice reniformia lateve obovata profunde bipartita, partitione externa late et oblique obovato-cuneata bifida aut bipartita, interna inaequaliter biloba lobulo interno saepius crenis 2 externo crenis tribus incisis, crenis omnibus apice obtusis v. subacute rarius rotundatis; folium primarium interdum foliis basilaribus Aquilegiae pyrenaicae omnino conforme.

Folium caulinum intimum longiuscule petiolatum conspicue vaginatum, petiolo laminae saepè subacquiloni, lamina biternata v. subbiternata interdum laminis fol. bas. conformi saepius laciiniis pro ratione longitudinis angustioribus ideoque magis

distincte linearibus; folia media 1–2, aut nulla, brevissime petiolata, petiolo ad vaginam reducto, lamina aut bibernata et laminis folii infimi subconformi aut ternata et foliolis tripartitis v. triseptis, partitionibus aut integerimis lanceolatis aut incisis lacinulis lanceolato-linearibus subacutis; folia summa 1–2 bracteiformia linearia acuta 1–2 cm. longa, interdum nulla.

Flores magni, suberecti v. nutantes. Sepala 32–45 mm. longa (rariissime breviora), petalorum limbum 10–22 mm. superantia, late ovata, basi in unguem brevem constricta, apice acuta v. obtusa cuneato-acutata aut breviter acuminate, latitudine fere  $\frac{2}{3}$  longitudinis, caerulea rarius albida v. rubescens apice saepissime virescentia. Petala campanulam efficientia, lamina late obovata apice truncato-rotundata 18–20 mm. longa, sepalis magis dilute caerulea; calcar crassiuscule conicum versus apicem subcapitatum sensim attenuatum 10–25 mm. longum subrectum v. saepius incurvum rarissime fere uncinatum interdum lamina paullo brevis saepius ea 1–6 mm. longius sub apice saepe 1·5–2 mm. crassitudine. Stamina numerosa (40–50) inaequilonga, longiora lamina petalorum 2–6 mm. breviora, glabra; filamenta a basi plus minus dilatata gradatim attenuata, longiora (6–) 8–12 mm. longa; antherae oblongae muticæ fere 2 mm. longæ fusco-virentes. Parastomones lanceolati undulati apice acuti 7–10 mm. longi, ovaria superantes, interdum pistilla subaequantes, Pistilla 5 erecta 10–13 mm. longa, stamina superantia v. aequantia interdum iis breviora; ovaria subcylindrica 6–7 mm. longa dense hirta; styli subulati infra hirti, ovario paullo v. 3 mm. breviores, apice recti v. leviter recurvi.

Folliculi 5, subparalleli, e basi ovoidea apicem versus attenuati, 25–30 mm. longi, hirti v. pubescentes, stylo 5–8 mm. longo rostrati.

Semina nigra, nitida, obovoidea.

**IV. *Aquilegia Bertolonii*, Schott (*Aquilegia pyrenaica Bertoloni*, et Reichb., Ic. Fl. Germ. 4732; A. Bertolonii Schott; A. Reuteri Boiss.).**

foliis basilaribus saepissime bibernatis, foliolis margine sese obtegentibus, terminali late obtriangulari trilobo 12–20 mm. longo, lobis crenatis crenis mediis rotundatis v. retusis, folio caulino infimo (fere semper) basilaribus multo minore trifoliolato foliolis lanceolatis integris v. fissis, inflorescentia 1–4-flora, floribus conceoloribus, sepalis ovatis 24–30 mm. longis, petalis rotundatis v. subtruncatis, calcaribus conico-subulatis hamato-incurvis, laminam subaequantibus v. ea paullo longioribus, folliculis 12–15 mm. longis.

**Descriptio subspeciei.**

Rhizoma fusiforme collo, reliquiis foliorum plus minus tectum. Canis erectus simplex v. superne modice ramosus vix sulcatus 15–50 cm. altitudine subnudus, aut basim versus glabrescens aut totus tenuiter patentimque glanduloso-pubescent.

Folia basilaria longissime petiolata; petiolus basi in vaginam late lanceolatam brevem dilatatus, 4–20 cm. longus, glaber v. villoso-pubescent; lamina bibernata, rarius ternata, foliolis reniformibus profunde trilobis v. triseptis; petiololi primarii saepe villosuli, intermedio 8–30 mm. longo, lateralibus fere  $\frac{2}{3}$  terminalis longitudine; foliola sessilia v. breviter petiolata, textura subfirma, supra viridia et glabra, infra pallidiora et glabra v. puberula, margine sese obtegentia, ad marginem interdum

ciliatula; terminale foliorum bitemnatorum late triangulare basi saepe obtusa late cuneatum 12–20 mm. longum, latitudine  $\frac{1}{2}$ – $\frac{3}{4}$  longitudinis, ad tertiam partem v. ad medium regulariter v. irregulariter trilobum, lobo medio breviter oblongo saepissime crenis tribus integerrimis v. vix crenulatis inciso, lobis lateralibus breviter oblongis v. subovatis crenis binis inaequalibus praeditis; foliola lateralia asymmetrica lateque obovata v. subreniformia terminali angustiora v. latiora basi late cuneata v. obscure cordata, ad tertiam partem v. fere ad basim inaequaliter biloba, lobo interno tri-externo bicrenato, crenis foliolorum omnium intermediis apice apiculato v. mutico rotundato-truncatis v. retusis, lateralibus obtusis.

Folia caulinia saepissime basilaribus dissimilia; infimum, si est foliis bas. simile, paullum a basi caulis remotum; folium infimum saepissime basilaribus multo minus, trifoliolatum, foliolis lanceolatis, intermedio integro v. trifido, lateralibus interdum bifidis; superiora simplicia linearis-lanceolata, peduncularia 8–12 mm. longa. Flos lilacinus v. caeruleus, solitarius v. inflorescentia 2–4 flora corymboso-racemosa. Pedunculi graciles, laterales interdum 15 cm. longi, visciduli.

Sepala ovata v. ovato-oblonga, apice acuta v. brevissime acuminata, basi in unguem conspicuum constricta, 24–30 mm. longa, latitudine circiter  $\frac{1}{2}$  longitudinis, dorso puberula, petalorum limbum 6–10 mm. superantia. Petalorum lamina apice rotundata v. subtruncata, 14–20 mm. longa; calcare e basi conica subulatum hamatum (rarius levius incurvum), laminae aequilongum v. ea paullo longius. Stamina petalorum limbum aequantia v. saepius eo 1–7 mm. breviora; filamenta angusta, longiora circa 1 cm. longa; antherae oblongae, 1.5–2 mm. longae, muticæ. Parastomes lanceolati, apice apiculato obtusi v. acuti, vix v. manifesto undulati, 7–8 mm. longi, ovariis subaequilongis. Pistilla 5; ovaria obato-oblonga, 7–8 mm. longa, hirta, in stylum subulatum leviter recurvum ovarii fere dimidio breviorem gradatim attenuata. Folliculi 5, 12–15 mm. longi, hirti.

Area geographica—Appennini, Alpes pedemontani et maritimi, (Pyrenæi montes?).

Haec subspecies congeries esse videtur formarum mediarnm; nam non solum folia similia sunt foliis A. pyrenaicae, sed transitus etiam animadverti possunt partim in stirpes appenninas A. alpinae floribus quam in formis typicis minoribus atque calcaribus multum curvatis, foliis tamen caulinis A. alpinae genuinae, partim in A. Einseleanam, cuius calcaria haud raro fere hamata sunt. Affinitatibus minus artis etiam cum A. nigranti et A. eynensi connexa. Stirpes in Afghanistan orientali crescentes et varietatem subspeciei Meercroftianae efficientes haud raro A. Bertolonii valde similes, sed calcaria recta vel vix curvata.

V. *Aquilegia viscosa* Gouan, (*Aquilegia glandulosa*, Gouan Illustrationes botanicae tab. 19 fig. 1, Flor. Monsp. 267; = *Aquilegia Einseleana* Schulz = A. Bauliui Schott = A. pyrenaica Koch = A. Kitabelii Nyman ex parte (= A. pyrenaica var.  $\beta$  decipiens G. et G. ?); et A. glandulosa W. et Kit. = A. Kitaibelii Schott = A. pyrenaica Visiani; A. thalictrifolia Schott),

foliis basilaribus saepissime bitemnatis, foliolis subdistantibus

brevisime petiolulatis v. sessilibus, terminali triangulariter cuneato-obovato latitudine  $\frac{1}{2} - \frac{4}{5} - \frac{1}{2}$  longitudinis, folio caulino infimo (v. altero) ternato foliolis segmentis lanceolatis v. oblanceolatis, summis lanceolato-linearibus, floribus parvulis v. mediocribus caeruleis v. violaceis, sepalis oblongis v. oblongo-lanceolatis 14–27 mm. longis, petalorum lamina rotundata 9–16 mm. longa, calcaribus rectis v. incurvis neque uncinatis, staminibus pet. lamina 2–6 mm. brevioribus, folliculis 5–6 cylindricis patulis 8–15 mm. longis.

Area geographica—Montes Europae centralis. In Himalaya non invenitur; sed varietas A. Moorcroftiana a nobis Winterbotomiana dicta quoad folia valde similis A. thalictrifoliae, et varietas altera, subaphylla, caule foliisque glanduloso-hirtis instructa, A. viscosam typicam in mentem revocat.

*var. a. Einseleana*" Schulz,

foliolis foliorum basilarium bitemnatorum infra glabris v. parce rarius subdense glanduloso-puberulis ad quartam vel tertiam partem rarius ad medium usque trilobis lobis saepissime rotundatis v. rotundato-subquadratis v. cuneate obovato-oblongis, foliis caulinis aut minimis aut conspicuis foliis basilaribus subconformibus sed segmentis magis linearibus, superioribus saepius trisectis v. simplicibus segmentis oblanceolatis v. linearibus, calcare laminae subaequilongo rarius  $\frac{2}{3}$  eius longitudine, folliculis subsparse glanduloso-hirtulis.—Alpes, Gallia austr.

*var. β. thalictrifolia*" Schott,

foliis glanduloso-hirtis et ciliatis, foliolis mediis fol. bas. ad medium v. tertiam partem trifidis longe et saepe subanguste cuneatis laciniis linearis-oblongis inciso-serratis, foliis caulinis inferioribus nonnullis foliis basilaribus subconformibus sed laciniis magis linearibus, superioribus trifoliatis v. trisectis segmentis rite lanceolatis, calcare laminae aequilongo v. paullo breviore, folliculis viscoso-hirtulis.—Alpes.

*var. γ. Kitaibelii*" Schott,

foliolis foliorum basilarium villosso-pubescentibus, foliis caulinis nullis vel 1–2 linearibus v. infimo trisecto, calcare lamina fere duplo breviore, folliculis dense hirtis.—Croatia.

### Descriptio subspeciei.

Rhizoma directione varia, subfusiforme, atrobrunneum, foliorum reliquiis plus minusve vestitum, caules 1–2 edens. Caulis erectus simplex v. superne ramosus teres laevis v. vix sulcatus, florifer altitudine 12–50 cm. prope basim 1–2.5 mm. crassitudine subnudus supra basim aut glabrescens aut villoso-pubescentis atque plus minus

glandulosus aut parce v. densiuscule glanduloso-hirtus; rami, ubi adsunt, graciles patuli.

Folia basilaria longissime petiolata 3–20 cm. longa; petioli basi in vaginam lanceolatam membranaceam 3–7 mm. longam et pro ratione petioli brevissimam convergentim nervosam dilatati, basi breviter canaliculati subteretes, 2–14 cm. longi, 0·5–1·5 mm. crassitudine, subglabri v. pilosuli v. parce glanduloso-hirti; lamina ternata v. bibernata, foliolis bibernatorum subdistantibus; petioluli primariorum tenues leviter sulcati, terminalis 2–45, saepius 5–15 mm. longus, laminae aequilongus v. ea manifesto longior, laterales terminali aut aequilongi aut subduplo breviores; foliola textura firmiora, aut parte utraque glabra aut supra glabra infra puberula v. plus minus glandulosa aut utrinque glanduloso-pubescentia infra pallidiora; foliolum terminale foliorum bibernatorum brevissime petiolatum v. subsessile, triangulare cuneato-obovatum, (5) 9–20 (–25) mm. longum, versus basim acutam v. obtusiusculam insigniter cuneatum, latitudine  $\frac{1}{2}$ – $\frac{4}{5}$ – $\frac{1}{2}$  longitudinis, apice vix ad tertiam partem v. paullo ultra medium trilobum v. trifidum, lobo medio subquadrato v. linearis-oblongo apice crenis tribus obtusis v. rotundatis inciso, lateralibus breviter semi-obovatis v. linearis-ablongis integerrimis v. crenis binis inaequaliter incisis; foliola lateralia subsessilia v. plane sessilia asymmetrice obovata rarius subtrapezoidea inaequaliter biloba v. rarius bisecta, lobo interno subobovato trifido v. saepissime crenis ternis subinaequalibus inciso, lobo externo bifido v. saepissime integerrimo bicrenatoe; foliola foliorum basilarium ternatorum subreniformia v. semiorbiculares, basi truncata v. subcordata, ad duas partes v. fere ad basim palmatim tripartita partitione media cuneato-obovata lateralibus oblique obovatis, omnibus crenatis v. crenato-lobatis.

Folium caulinum infimum interdum foliis basilaribus conforme v. saepius ternatum foliolis segmentis lanceolatis v. ob lanceolatis interdum longissime cuneatis, aut integerrimis apice obtusis, aut incisis; folia intermedia subsessilia, petiolo ad vaginam reducto, trifoliolata, foliolis breviter petiolatis, aut integerrimis atque ob lanceolatis apice rotundatis obtusis acutis, aut rarius basilaribus conformibus sed minoribus, aut parce incisis; folia summa bracteiformia saepissime integra lanceolato-linearia 3–14 mm. longa.

Flores parvuli solitarii v. 2–5–10 in racemum paniculamve subcorymbosam laxissimam dispositi, nutantes v. suberecti, caerulei v. violacei; ramis laterales inflorescentiae gracilibus infimo interdum 20 cm. longo. Pedunculi apice dense viscoso-hirti. Sepala elliptico-oblonga v. oblongo-lanceolata, apice acuto breviter acuminata, basi in unguem brevem constricta, 14–27 mm. longa, latitudine  $\frac{2}{5}$ – $\frac{5}{6}$  longitudinis, glabra v. dorso vix puberula, petala 3–14 mm. superantia. Petalorum lamina obovato, apice saepissime rotundata rarissime rotundato-subtruncata; calcar subulatum apice nectarifero capitatum, rectum v. manifesto incurvum neque tamen uncinatum quam lamina 2 mm. longius vel 1–16 mm. brevius,  $\frac{1}{2}$ – $\frac{7}{6}$  laminae longitudine. Stamina numerosa inaequalia, limbo petalorum 2–6 mm. breviore, glabra; filamenta a basi modice dilatata in apicem filiformem angustata; antherae oblongo-ellipsoideae circa 1·5 mm. longae muticæ v. distinete apiculatae flavae. Parastemones lanceolati 6–7 mm. longi apice acuti, plus minus undulati, ovaria superantes. Pistilla 5–6 erecta, 7–10 mm. longa; ovaria cylindrica dense hirta; styli filiformes, apice recti v. ad ultimum recurvi, infra hirti, ovario subaequilongi.

Folliculi 5–6, cylindrici, patuli, apice rotundato obliquo, stylo persistenti filiformi 4–6 mm. longo rostrati, nervoso-reticulati, 12–15 mm. longi, pilosuli v. glandulosohirti.

**VI. *Aquilegia grata' Maly,* (*Aquilegia grata Maly* in Zimmenter, Mon. Aq. No. 13).**

Caule 12–25 cm. altitudine, uti petioli petioluli foliola, usque a basi glandulosohirto, foliis basilaribus binternatis, foliolis magnis rotundato-deltoides margine sese plus minus obtegentibus, foliis caulinis inf. basilaribus subconformibus, floribus 3–5 pallide caeruleis, sepalis circiter 2 cm. longis ovatis, fere 1·5 cm. petala superantibus, pet. lamina circiter 6 mm. longa, calcare recto v. paullum incurvo quam lamina subdupo longiore, staminibus limbum superantibus, folliculis brevibus.—Croatia, Serbia.

**VII. *Aquilegia pyrenaica' DC.* (*Aquilegia pyrenaica DC.* nec *Koch* neque *Bertoloni* nec *Visiani*),**

caule 10–30 cm. altitudine simplici v. subsimplici subnudo v. vix folioso, foliis basilaribus ternatis v. saepius binternatis foliolis approximatis v. margine sese obtegentibus glaberrimis v. infra vix puberulis, terminali late rhomboe v. subreniformi basi late cuneato v. subcordato 3–18 mm. longo, inflorescentia uni v. pauci-flora, floribus concoloribus caeruleis rarius discoloribus, sepalis ovatis 16–26 mm. longis, petalorum lamina apice truncato-rotunda v. plane rotundata, calcare recto v. leviter incurvo, staminibus lamina brevioribus, carpellis fere 5 hirtis, folliculis subparallelis 12–15 mm. longis.

*var. a. vera*, floribus concoloribus, sepalis saepius plus 2 cm. (sed etiam 16 mm.) longis.

*var. β. discolor*" *Levier et Ler.*, floribus discoloribus, sepalis vix 2 cm. longis.

Vidimus exemplaria rara subsp. *nivalis*, e *Kashmiria allata*, a

*var. a.* huius subspeciei nullo modo distinguenda.

### Descriptio subspeciei.

Rhizoma horizontale v. descendens, simplex, fusiforme v. cylindricum, atro-brunneum, crassitudine 2–5 mm., collo foliorum reliquiis vestitum, caulem solitarium edens.

Caulis erectus simplex v. apice vix ramosus subteres sulcatus plus minus fistulosus, florifer 10–25 (30) cm. altitudine, prope basim 1–2 mm. crassitudine basi foliosus, infra inflorescentiam nudus v. folio uno alterove instructus, subglaber v. puberulus.

Folia basilaria longissime petiolata sed caule saepissime manifesto breviora raro eum aequantia 3–15 cm. longa; petiolus basi in vaginam membranaceam lanceolatam 6–15 mm. longam et pro ratione petioli brevem convergentim plurinerviam dilatatus, 2–12 cm longus, 0·7–1·5 mm. crassitudine, supra leviter canaliculatus, puberulus v. glaber; lamina aut ternata atque foliolis triseptis v. tripartitis, aut saepius binternata; petioluli primarii tenuiter sulcati glabri v. subglabri, terminalis 7–15 mm. longus, laterales  $\frac{3}{4}$ – $\frac{5}{4}$  terminalis longitudine; foliola membranacea, valde approximata et

sese margine obtegmentia supra viridia, infra pallidiora v. glauca, glaberrima v. infra vix puberula, lobis vix distantibus v. sese attingentibus v. paullum se obtegmentibus; terminin late rhombeum v. subreniforme, basi late cuneatum v. subcordatum v. rotundato-truncatum, 3–18 mm. longum, latitudine  $\frac{1}{4}$ – $\frac{3}{4}$  longitudinis saepissime latiore quam longiore, ad tertiam partem v. ad medium trilobum v. ultra medium tripotum v. raro ad basim usque trisectum, lobo medio obovato apice subtruncato crenis tribus instructo, lobis lateralibus breviter oblongis v. oblique obovatis saepissime inciso-lobulatis lobulis parce crenatis v. rarius integerrimis, petiolulo subnullo v. 1–5 mm. longo, uti laterales, glabro v. pilosulo; foliola lateralia brevius petiolulata v. sessilia reniformia v. late trapezoidea v. asymmetrice truncato-obovata profunde inaequaliterque bipartita, partitione interna oblique triangulari v. subreniformi saepe bifida v. lobulis tribus crenato-incisa, partitione externa obovato-oblonga v. semiovata saepissime lobulis binis incisa, lobulis crenisve haud raro parce et subobscure crenulatis apice late obtusis v. rotundatis v. subretusis.

Folia caulinia inferiora uno altero longe v. breviter petiolata, foliis radicalibus aut conformia aut simpliciora aut plane nulla; superiora (floralia) breviter brevisime petiolata, petiolo saepius ad vaginam brevem reducto, lamina aut trifoliolata aut trisepta, foliolis v. segmentis triseptis divisionibus linearis-lanceolatis apice acutis v. subobtusis, summa v. omnia saepe integra lanceolato-linearia 7–12 mm. longa. Inflorescentia uni v. pauciflora, floribus mediocribus nutantibus v. suberectis, concoloribus caeruleis v. petalis albis discoloribus. Pedunculi glanduloso-pubescentes. Sepala late ovata v. ovato oblonga, basi in unguem brevem contracta, apice subacuto breviter acuminata, nervis tribus ramosissimis percursa, 16–26 mm. longa latitudine  $\frac{1}{2}$ – $\frac{3}{4}$  ( $-\frac{2}{3}$ ) longitudinis, petala 5–11 mm. superantia. Petalorum lamina obovato-oblonga v. plane oblonga apice truncato-rotundata v. plane rotundata, 10–16 mm. longa; calcar e basi subangusta conico-subulatum, apice nectarifero vix capitatum rectum v. leviter incurvum, 15–20 mm. longum,  $\frac{4}{5}$ – $\frac{3}{2}$  laminae longitudine, sub apice 0.5–0.8 mm. crassitudine. Stamina numerosa valde inaequalia, longiora petalorum lamina 2–4 mm. breviora, filamenta e basi modice dilatata in apicem subfiliformem gradatim attenuata, longiora 7–11 mm. longa; antherae elliptico-oblongae 1.5–2 mm. longae apice rotundato muticae. Parastemones ovato-lanceolati v. lineares acuti undulati 7–9 mm. longi, ovaria superantes. Pistilla 5 erecta 8.5–10 mm. longa, staminibus aequilonga v. ea paullo superantia; ovaria 4–5 mm. longa anguste ovoideo-oblonga glanduloso-hirta; styli filiformes subrecti infra hirta ovario subaequilongi v. subduplicem longiores.

Folliculi 4–5, subparallelis, subcylindrici, apicem versus modice attenuati, subobliqui, nervoso-reticulati, glanduloso-pubescentes, 12–15 mm. longi.

### VIII. *Aquilegia nivalis*' Falconer (A. nivalis *Falc.* in herbario Kewensi de sententia Bakeri),

caule 3–30 cm. altitudine 1-v. rarius 2-floro, foliis basilaribus plerisque biernatis, foliolis margine sese obtegmentibus 1–16 mm. longis, medio deltoideo v. reniformi basi obtuso v. subcordato fere ad medium trilobo, lobis lobulatis v. crenatis, crenis ovatis et rotundato-subquadratis, foliis caulinis paucis v. nullis vagina conspicua, sepalis stellatim patentibus 12–24–40 mm. longis late ovatis v. oblongis apice obtusis v. subacutis, petalis apice truncatis sinuatis retusis emarginatis, calcare uncinato v. recto conico v. cylindrico

v. saccato, staminibus saepius lamina brevioribus, carpellis hirtis, folliculis circiter 5 fere 1·5 cm. longis.

*var. a. paradoxa* *P. B.*,

saeppe caespitosa, caule florifero 4–16 (–24) cm. altitudine, sepalis (12–) 20–25 mm. longis, calcare aut uncinato aut recto aut incurvo et tenui v. crassiuscula cylindrico. Himalaya occidentalis, Gilgit. Lecta in Gilgit (*Giles sub nominibus A. glaucae var. nivalis et A. vulgaris var. pubiflorae*) ; Kashmir (*herb. Falc! H. Sah! Winter-bottom!*) ; Tibetia occidentalis (*H. E. I. C. No. 58!*) ; Kunáwar (*Scz!*).

*var. β. saccocentra* *P. B.*,

caule florifero 20–30 cm. altitudine, sepalis 35–40 mm. longis, calcare saccato medio 3–4 mm. crassitudine. In valle fluminis Chenab alt. 11000 ped. (*E.!*)

### Descriptio subspeciei.

Rhizoma fusiforme v. irregulariter cylindricum, descendens v. horizontale, subgracile v. percrassum, atro-brunneum, saeppe pluriceps, collo vaginis foliorum delapsorum dense vestitum, caules 1–3 edens.

Caulis erectus v. ascendens, simplex v. subsimplex saepissime uniflorus interdum biflorus, nudus v. folium unum alterumve edens, 3–30 cm. altitudine, prope basim 1–2 mm. crassitudine infra aut dense glanduloso-hirtus aut pubescens aut glaberrimus, sub flore semper dense glanduloso-hirtus.

Folia basilaria longissime v. partim longe petiolata; petiolus basi in vaginam membranaceam brunneam 1–2 cm. longam convergentim plurinerviam dilatatum supra basim leviter canaliculatus striatus (1–) 2–8 cm. longus, 0·5–1·3 mm. crassitudine, glaber v. hirsutus; lamina biternata v. folii unius alteriusve ternata; petioluli primarii striati glabri v. plus minus pilosi, terminalis 2–20 mm. longus; foliolis marginibus sessu obtegentia tenuia 3–16 mm. longa supra viridia infra pallidiora glabra v. vix pilosula, medium reniforme v. deltoideum v. semiobtusum basi lata obtusum v. subcordatum rarius manifesto cuneatum circiter ad medium regulariter v. subirregulariter trilobum latitudine  $\frac{4}{3}$ – $\frac{3}{2}$  longitudinis, lobo medio obovato plus minus cuneato raro subintegerrimo (in foliis perpaucis tantum) saepissime trilobulato, lobis lateralibus oblique obovatis v. late irregulariterque obtriangularibus saepius bilobulatis, lobulis integerrimis v. plus minus crenatis; foliola lateralia oblique reniformia latitudine  $\frac{1}{3}$ – $\frac{2}{3}$  longitudinis, basi subcuneata v. obscure cordata, plus minus profunde (interdum ad basim usque) irregulariter biloba, lobo interno subregulariter trilobulato v. tricrenato, externo bilobulato, lobulis crenatis v. subintegerrimis, crenis foliolorum omnium breviter ovatis v. mediis rotundato-subquadratis plus minus obtusis v. rotundatis.

Folium caulinum infimum, aut unicum, (ubi adest,) longe v. longissime petiolatum maiuscum v. parvum, foliis basilaribus interdum omnino conforme, saepius flori approximatum, petiolo basi in vaginam conspicuum lanceolatum dilatato 1–2·5 cm. longo, lamina saepissime ternata, foliolis nunc tripartis sectisve et foliolis foliis bas. subsimilibus, nunc bi- v. trifidis laciniis lanceolatis nunc lanceolatis integerrimis; folium caulinum summum (v. unicum) saepce linearis-lanceolatum 8–12 mm. longum petiolo ad vaginam conspicuum redacto.

*Flos maiusculus magnus v. mediocris plus minus nutans.*

Sepala stellatim patentia, late ovata v. ovato-oblonga, basi in unguem brevem constricta, apice obtusa v. acutiuscula interdum brevissime acuminata, (12-) 20-40 mm. longa, latitudine ( $\frac{2}{3}$ -)  $\frac{1}{2}$ - $\frac{3}{7}$  longitudinis, petala 6-12-22 mm. superantia, caerulea, dorso puberula v. glabra. Petalorum lamina obovato-cuneata apice truncata plus-minusve sinuata v. retusa v. emarginata 7-12 mm. longa purpurea v. violacea; calcaria aut e basi brevi ample conica in apicem tenuem uncinatim incurvum  $\frac{1}{2}$ - $\frac{2}{3}$  laminae longitudine attenuata, aut a basi conoidea tenuiter cylindrica incurva v. subrecta aut saepius crassiuscule conica leviterque incurva laminae subaequilonga, aut tenuiter conica v. fere cylindrica lamina paullo longiora, aut saccata laminae subaequilonga v. paullo breviora, apice aut conspicue capitata aut obtusissima. Stamina longitudine inaequalia, petalorum lamina paullo breviora raro eorum limbus 1 mm. superantia; filamenta e basi paullum dilatata sensim in apicem attenuata, longiora 6-8 mm. longa; antherae elliptico-oblongae, exteriores saepius maiores, apice muticæ, fere 1 mm. longæ, flavæ v. fusco-virescentes. Parastemones lineares v. lanceolati plus minus undulati apice acuto apiculati 5-7 mm. longi, filamenti longioribus breviores, ovaria superantes, unus alterve saepe anthera parva instrutus. Pistilla 5, staminibus breviora v. ea 5 mm. superantia, 9-14 mm. longa; ovaria subcylindrica 4-5 mm. longa dense glanduloso-hirta, in stylum subulatum ad altitudinem variam hirtum ovarii  $\frac{1}{2}$ - $\frac{2}{1}$  longitudine apice ad ultimum plus minus uncinatim recurvum subabrupte attenuata.

Folliculi 5 (v. plures?) suberecti, e basi ovoidea in apicem oblique truncatum paullum attenuati, conspicue transversim reticulato-nervosi, sine stylo circiter 1.5 cm. longi, hirti, stylo filiformi (fere 5 mm. longo) rostrati.

Semina obovoidea, laevia, nigra, (subopaca), circiter 1.5 mm. longa.

**IX. *Aquilegia glandulosa*' *Fisch.* (*Aquilegia glandulosa* *Fischer*, Zimmeter No. 10; *A. jucunda* *Fischer*; *A. Gebleri* *Besser*; *A. transsilvanica* *Schur*, Zimmeter No. 5; *A. Fussii* Zimmeter; *A. sulphurea* Zimmeter No. 9, *A. aurea* *Janka*. Icones: Delessert Icones vol. I tab. 48?; Sweet, Br. Fl. Gard. vol. I tab. 55; Edwards' bot. reg. vol. X, tab. 19; Flore des Serres, vol. V, 585),**

caule 12-40 cm. altitudine 1-5-floro, foliis basilaribus bibernatis, foliolis margine sese obtegentibus rarius subdistantibus, medio late triangulari v. reniformi rarius rhomboe v. obovato-cuneato trilobo latitudine saepissime  $\frac{1}{2}$ - $\frac{3}{2}$  longitudinis, crenis mediis rotundato-subquadratis v. breviter oblongis, folio caulino infimo saepissime brevissime petiolato subtrifoliolato, floribus magnis v. mediocribus, sepalis stellatim patentibus late ovatis v. ellipticis 16-45 mm. longis, petalorum lamina apice rotundata raro obtusa, calcare uncinato  $\frac{1}{5}$ - $\frac{1}{1}$  laminae longitudine, staminibus lamina 2-11 mm. brevioribus, carpellis (5-) 6-12 glanduloso-hirtis, folliculis 2-3 cm. longis.

*var. a. iucunda*" *Fischer* ex parte (*A. glandulosa* var. *discolor DC.*),

caule plus minus glanduloso-pubescenti, foliolis saepissime margine sese obtegentibus terminali reniformi basi saepissime sub-

cordato v. subtruncato, pedunculis plus minus glandulosis, floribus discoloribus lamina alba v. ochroleuca calcare  $\frac{2}{3}$ – $\frac{1}{1}$  laminae longitudine. Sibiria.

*var. β. vera*" (A. glandulosa Fisch., Zimmeter. No. 10),

caule foliisque uti in a, floribus concoloribus azureis v. caeruleis, calcare  $\frac{1}{4}$ – $\frac{3}{4}$  laminae longitudine. Variat floribus magnis v. mediocribus.

subvar. *aa.* lamina petalorum elliptico-oblonga apice obtusa (= A. glandulosa typica Fischeri).—Sibiria.

subvar. *ββ.* lamina petalorum oblongo-ovata apice rotundata v. rotundato-truncata (= A. iucunda Fischer ex parte).—Sibiria, Transsilvania.

*var. γ. sulphurea*" Zimmeter, (A. aurea Janka, Zimmeter No. 9.),

foliolis sese paullum obtegentibus inciso-crenatis, terminali rhomboeo basim versus cuneato saepius paullo longiore quam latiore, floribus magnis concoloribus sulphureis v. aureis, pedunculis glabris, calcare fere  $\frac{2}{3}$  laminae longitudine.—Macedonia.

*var. δ transylvanica*" Schur, (A. transylvanica Schur, Zimmeter No. 5; A. Fussii Zimmeter),

foliolis sese attingentibus v. vix distantibus, terminali late rhomboeo v. subreniformi, pedunculis puberulis v. glabris, floribus magnis concoloribus violaceo-caeruleis, calcare  $\frac{1}{2}$ – $\frac{2}{3}$  laminae longitudine.—Transsilvania.

*var. ε. Gebleri*" Besser (?),

foliolis sese attingentibus vix se obtegentibus, terminali subrhomboeo versus basim obtusam late cuneato, pedunculis plus minus glanduloso-pubescentibus, floribus concoloribus caeruleis.—Sibiria (Gebler!).

### Descriptio subspeciei.

Rhizoma fusiforme descendens collo foliorum reliquiis obtectum.

Caulis erectus simplex v. superne modice ramosus strictus v. vix flexuosus subteres leviter sulcatus, florifer 12–40 cm. altitudine, prope basim 1–4 mm. crassitudine, aut raro totus glaber aut saepius parte inferiore glabrescente sub flore pubescens v. glanduloso-hirtus aut basim versus hirtulus apiceque glanduloso-subtomentosus, subnudus v. parce foliosus.

Folia basilaria longissime petiolata, caule manifesto breviora, 10–30 cm. longa; petiolus basi in vaginam membranaceam lanceolatam v. ovatam 1–2 cm. longam convergentim plurinerviam brunneam dilatatus, subteres, supra canaliculatus, 7–20 cm. longus, 1–3 mm. crassitudine, glaber v. puberulus v. glanduloso-hirtulus; lamina bibernata; petioluli primarii supra canaliculati, puberuli v. subglabri, terminalis 1–4 cm. longus, laterales  $\frac{3}{5}$ – $\frac{4}{5}$  terminalis longitudine; foliola membranacea tenuiter palminervia sese obtegentia v. rarius subdistantia, supra viridia infra

pallidiora, aut utrinque glabra aut supra glabra et infra ad nervos praecipue et prope basim pilosula; terminale sessile v. breviter petiolatum, rarius subrhombatum v. obovato-cuneatum saepissime late obtriangulare v. reniforme, aut basi obtusa late cuneatum aut obscure cordatum, vix ad tertiam partem v. ad medium usque regulariter v. irregulariter trilobum, 1–3 (–4) cm. longum latitudine  $\frac{1}{2}$ – $\frac{3}{2}$  raro  $\frac{4}{3}$  longitudinis, lobo medio obovato-cuneato v. breviter linearis-oblongo latitudine  $\frac{2}{3}$ – $\frac{4}{3}$  longitudinis apice crenis tribus regulariter v. saepius irregulariter inciso, lobis lateralibus semiiovatis v. saepius transverse oblongis obovatisve bilobulatis lobulis inciso-crenatis; foliola lateralia sessilia v. subsessilia asymmetrica reniformia ad medium v. fere ad basim bi- v. triloba, basi latissime cuneata v. subsemicordata, lobis lobulatis et inciso-crenatis, crenis foliorum omnium mediis rotundato-subquadratis v. transverse longitudinaliterve linearis-oblongis lateralibus breviter oblongo-ovatis, apice obtusis v. rotundatis saepe leviter retusis; petioluli secundarii, ubi adsunt, haud raro magis pilosi quam primariae, terminalis subnulus v. 8 mm. longus, laterales saepe nulli semper terminali breviores.

Folium caulinum infimum interdum longe petiolatum basilaribus subconforme, saepius folia caulina inferiora, ubi adsunt, brevissime petiolata petiolo ad vaginam reducto, lamina subtrifoliolata, foliolis aut trisectis aut integris segmentis foliolisve linearis-lanceolatis; folia summa bracteiformia sessilia trisepta v. saepc lanceolato-linearia raro ovato-lanceolata 5–9 mm. longa, in pedunculis lateralibus praescerit haud raro duo plus minus approximata v. fere opposita.

Flores solitarii v. 2–3 (–5) in racemum subcorymbosum dispositi, nutantes v. erecti, mediocres v. magni. Sepala stellatum patentia, nervis tribus valde ramosis percursa late ovata v. elliptica, basi in unguem per breve constricta, apice acuta v. subobtusa saepe brevissime acuminata, 16–20–45 mm. longa latitudine  $\frac{2}{3}$ – $\frac{3}{2}$  longitudinis, azurea v. dilute caerulea raro aurea v. sulphurea v. albida, dorso glabra v. puberula, apiculo plerumque albidente v. viridi, petala 6–22 mm. superantia. Petala aut concoloria caerulea purpurea albida aurea sulphurea aut discoloria calcare azureo v. dilute caerulea ac lamina alba v. ochroleuca, dorso glabra v. puberula; lamina aut obovato-oblonga apice rotundata raro rotundato-truncata aut elliptico-oblonga in apicem obtusum attenuata, 10–27 mm. longa; calcar late conoidem apice capitato uncinatum incurvum, laminae rarius subaequali longum saepius  $\frac{1}{2}$ – $\frac{2}{3}$  rarius  $\frac{1}{5}$  laminae longitudine. Stamina numerosa longitudine inaequalia lamina 2–6 raro 11 millimetris breviora glabra; filamenta longiora 8–11 mm. longa, a basi vix dilatata gradatim attenuata; antherae oblongae 2·5–3·5 mm. longae muticæ flavae. Parastemones linearis-lanceolati v. lineares, apice acuto apiculati, undulati 7–9 mm. longi, filamenta longiora aequantes v. iis manifesto breviores, ovaria distincte superantes interdum apicem styli attingentes, apice haud raro antheris parvis globosis instructi. Pistilla 6–12, erecta, supra stamna vix v. 1–3 mm. prominentia raro iis breviora, 8–11 mm. longa; ovaria subcylindrica, dense glanduloso-hirta; stylus filiformis apice subrectus v. circinnatim recurvus, ovario saepissime paulo brevior.

Folliculi 6–12 patuli, a basi ovoidea sénsum attenuati, apice obliquo in stylum persistentem attenuati, sine stylo 2–3 cm. longi, hirti saepe glandulosi.

Semina numerosa, cuneato-ovoidea, ventre carinata, saepe 3- v. 5-costata, nigra, nitida.

**X. Aquilegia Moorcroftiana' Wall.** (*Aquilegia Moorcroftiana Wall.* Cat. 4713, Royle Ill. 55; *Aquilegia glauca Lindl.* (1840); *A. kunaorensis Camb.* (1844); *A. fragrans Bth.*, Baker ex parte; *Aquilegia*

*vulgaris* subsp. 4. *alpina*, subsp. 5. *pyrenaica*, *Hook. f. et T. in F. B. I.*; *Aquilegia vulgaris*, var. *pyrenaica* et *grandiflora* *H. f. et T. in F. I.* *Icones*: *Jacq. Voy. Bot. tab. V*; *Bot. Mag. tab. 4493*; *Lindl. Bot. Reg XXVI* tab. 46; *Maund's Bot. IV. tab. 151.*),

caule 10–80 cm. altitudine conspicue folioso raro subnudo ramoso rarius simplici, foliis basilaribus biternatis v. triternatis, foliolis parvulis v. magnis sese obtegentibus v. subdistantibus, terminali obovato subrotundo reniformi trilobo v. trisepto, foliis caulinis inferioribus ternatis v. biternatis, floribus 3–9 raro solitariis medioribus v. magnis concoloribus v. discoloribus colore vario, sepalis ovatis v. oblongis 14–45 mm. longis, petalorum lamina saepissime truncata, calcare saepissime subulato recto v. modice incurvo rarius uncinato longitudine comparata vario, staminibus limbum attingentibus v. superantibus, carpellis 5–9 glanduloso-hirtis, folliculis 18–25 mm. longis. Floret ab Iunio ad Septembrem.

Area geographica—Paropamisus, Himalaya alpina et subalpina occidentalis, Afganista orientalis, Belutschia.

*var. a. fragrans*" *Bth.* (*Baker ex parte*),

rhizomate crasso, caule 60–90 cm. altitudine, valde folioso, foliis basilaribus biternatis v. saepius plus minus triternatis, petiolulis gracillimis, foliolis tenuibus infra plus minus glaucis, terminali fol. bas. subreniformi profunde tripartito partitionibus 2–3-fidis laciniis linear-i-oblongis plus minus inciso-crenatis crenis obtusis v. rotundatis, floribus 2–5 albidis v. pallide purpureis, sepalis ovatis v. ovato-lanceolatis apice obtusiusculis 19–25 mm. longis, calcaribus lamina subduplo brevioribus v. eam subaequantibus apicem versus gracillimis, aut uncinatim incurvis aut rarius subrectis, folliculis 5–7, 16–18 mm. longis.

Lecta in Kashmir (*H. Falc.!*); Gilgit ad Kala Pani 10–11000' (*G.!*).

*var. β. Winterbottomiana* *P. B.*,

caule 25–40 cm. altitudine, foliis basilaribus caulinisque inferioribus aut triternatis aut biternatis atque foliolis triseptis, laciniis foliorum intermediorum oblongo-lanceolatis, petiolulis plus minus glanduloso-pubescentibus, segmentis foliorum flor. inferiorum linear-i-lanceolatis latitudine  $\frac{1}{6}$ – $\frac{1}{4}$  longitudinis, sepalis fere 2·5 cm. longis, petalorum lamina 10–12 mm. longa apice truncata, calcare subhamato circiter 15 mm. longo, carpellis 5–6.

In iugo inter Kashmiria et Darawar (*Winterbottom!*).

*var. γ. suaveolens* (= *A. kunaorensis* var. *β suaveolens* *Camb.*; = *A. fragrans* (*Bth.*) *Baker ex parte*,

caule 30–70 cm. altitudine felioso, foliis caulinis saepissime con-

spicuis, basilaribus bibernatis rarius subtriternatis, foliolis membranaceis infra saepissime plus minus glaucis terminali fol. bas. reniformi v. semiorbiculari v. subrotundo fere ad basim usque tripartito v. ad tertiam partem trilobo segmentis 2 v. 3 lobis v. crenatis lobis crenisque obtusis breviter linearis-oblongis, foliis caulinis superioribus valde variis, floribus saepissime 5–12, sepalis albidis v. stramineis, petalis saepe violaceis v. purpureis sed etiam albidis 25–50 mm. longis acutis v. acuminatis, calcaribus laminam 1–10 mm. superantibus rectis v. leviter incurvis, carpellis 6–9, folliculis sine stylo 20–25 mm. longis. Vidi allatam e Gilgit (*T. Biddulph!*), Kashmiria (*Sedgewick!* *W. S. A.!* *Levinge!*), Dran-kar 17–19000' (*Scz.!*), Lahúl (*H. Calc.!* *J. H.!*), Pangi (*Scz.!*), valle fl. Chenab superiore (*B. P.!*).

*var. δ. glauca*" Lindl.

foliis basilaribus bibernatis glaucis, laciniis fol. intermediorum obovato-cunneatis v. breviter oblongis, segmentis fol. flor. inf. obovato-cunneatis v. late lanceolatis, sepalis 25–30 mm. longis stramineis v. albo-purpureis, petalorum stramineorum calcaribus rectis conicis apice capitatis lamina truncata 2–4 mm. brevioribus, carpellis 6 (v. pluribus?), folliculis circiter 2 cm. longis.

Kashmiria (Forma rara et vix a varietate ε distinguenda).

*var. ε. kunaorensis*" Camb. (*A. kunaorensis Camb.* var. *α* = *A. Moorcroftiana Wall.* Cat. No. 4713 a Royleo in Ill. male descripta),

foliis plus minus glaucis, basilaribus aut triternatis, aut bibernatis et foliolis fere ad basim usque tripartitis, petiolis petiolulisque glabris v. parce hirtulis, foliis flor. inf. trifoliolatis v. trisectis foliolis sub-rhombiis v. late lanceolatis, sepalis 14–23 (saepissime 17–21) mm. longis stramineis v. saepius violaceis, petalorum violaceorum v. plus minus ochroleucorum lamina 9–17 mm. longa, calcare recto v. leviter incurvo 11–21 saepissime 14–18 mm. longo lamina saepissime 3–10 mm. longiore rarissime vix breviore, carpellis 5 rarius 6, folliculis 15–20 mm. longis. Gilgit (Giles sub nomine *A. fragrantis*! et *A. Moorcroftiana Wall?*! et *A. viridiflorae*!); Baltistan, prope Kapala (*Hunter-Weston!*), Ladakh (*Moorcroft!*), in Kurang prope Rumbog (*Scz.!*); Kunawar (sec. *Jacqem.*); Afghanistan, in valle Kurrum ('*A. vulgaris*, var. *Moorcroftiana Wall.*' *Aitch.*), ad Kair-was 12000 ped. ('*Aquilegia vulgaris*, var. *fragrans* *Benth.*', *Aitch.*), in rupestribus montium Safed Koh 10–12000 ped. ('*A. pubiflora* *Wall.*, var. *humilior*', *Aitch.* et *Hemsl.*, *A. pubiflora* *Boiss.* Fl. Or. Suppl. nec *Wall.*).

*var. ξ. Wallichiana*" (*A. Wallichiana* in *herb. Calc.*), uti var. ε, sed foliolis viridibus nec glaucis. Kumaon (*Vicary*!).

*var. η. afghanica P. B.*,

caule 10–30 cm. altitudine 1–4 (–6)-floro usque a basi villosopubescenti plus minus glanduloso, petiolo petiolulisque plus minus villosis, foliis basilaribus bibernatis, foliolulis textura firmiore saepissime manifesto petiolulatis glabris v. puberulis nec glaucis intermedio plus minus profunde trilobo lobis parce crenatis crenis rotundatis rarius breviter oblongis, foliis caulinis variis interdum subconspicuis, sepalis 18–28 mm. longis, lamina petalorum truncata, calcare lamina longiore subulato recto v. subincurvo, staminibus petala 1–4 mm. superantibus, carpellis 5. Floret ab Iunio ad Aug.

*Afghania orientalis*; in valle Kurrum—in monte Sikarám 10–14000 ped. (*Aquilegia nov. sp. Aitch.*). Calcaribus exceptis, valde similis *Aquilegiae Bertolonii*.

*var. θ. subaphylla P. B.*,

caule 25–35 cm. altitudine simplici v. superne parce ramoso a basi usque, uti petioli petioluli pedunculi, glanduloso-hirti, foliorum basilarium bibernatorum lamina 2·5–5 cm. longa, foliolis parvulis breviter petiolulatis textura subcarnosa glabris v. puberulis terminali reniformi trilobo 12–18 mm. lato, lobis parce crenatis, foliis caulinis inferioribus 1 v. 2 ternatis v. subbibernatis, sepalis circiter 2 cm. longis, petalorum lamina rotundato-truncata, calcare subulato recto lamina longiore, staminibus limbum pet. 2–5 mm. superantibus.

In valle Spiti, versus iugum Ringun 13–14000 ped. (*Scz. !*), prope Thissigaong 15–16000 ped. (*Scz. !*).

**Descriptio subspeciei.**

Rhizoma descendens v. horizontale crasse fusiforme v. cylindricum, interdum pluriceps, nigricans, collo vaginis foliorum fusorum vestitum, caules 1–3 edens.

Caulis erectus v. ascendens rarissime simplex saepissime superne plus minus ramosus, teres, sulcatus, altitudine 10–80 cm., basi 1·5–4 mm. crassitudine, conspicue foliosus raro subnudus, puberulus v. glabrescens aut a basi villoso-pubescentis v. glandulosohirtus.

Folia basilaria longissime petiolata caule florifero breviora 5–12–35 cm. longa; petiolus basi in vaginam lanceolatam membranaceam 15–30 mm. longam convergentim nervosam dilatatus, canaliculatus 3–20 cm. longus crassitudine 1–2 mm., hirtus v. puberulus; lamina bibernata raro ternata, interdum traternata; petioluli primarii tenues puberuli v. pubescentes v. glandulosohirti, terminalis 2–8 cm. longus 0·8–1·5 mm. crassitudine, laterales  $\frac{3}{5}$ – $\frac{4}{5}$  terminalis longitudine; foliola margine approximata v. sese obtegmenta, membranacea raro subcarnosa, supra glauca v. viridia infra pallidiora saepius glauca, glabra v. puberula v. densiusculae pubescentia, tenuiter nervosa; terminale circumscriptione late obovatum v. obovato-cuneatum v. suborbiculare v. semiobriculare v. reniforme, longe v. breviter petiolulatum, basi late cuneata obtusum v. truncatum v. subcordatum, 9–50 mm longum latitudine  $\frac{1}{2}$ – $\frac{3}{2}$  longitudinis, fere ad medium trilobum v. ad basim usque trisectum v. rarius tri-

foliolatum segmentis vix v. haud margine imbricatis, segmento lobato medio cuneato-obovato apice crenis grossis v. lobulis tribus inciso, segmentis lateralibus aut late oblongis aut oblique cuneato-obovatis inaequaliter bilobulatis lobulis plus minus grosse crenatis v. integerrimis; foliola lateralia aut trapezoidea aut terminali subconformia, crenis brevissime linearis-oblongis v. oblongo-ovatis apice obtusis v. rotundatis; petioluli ultimi glabri v. villoso-pubescentes, terminalis 2–35 mm. longus, laterales multo breviores v. nulli.

Folia caulinata intermedia, uno altero v. saepe longe petiolata excepto, breviter brevissime petiolata, inferiora saepe biternata superiora haud raro ternata, foliolis lateralibus fol. bitern. sessilibus v. vix petiolulatis folia summa subsessilia reliquis multo minoria trifoliolata v. trisepta ad ultimum saepe integra bracteiformia anguste lanceolata, segmentis integerrimis v. incisis saepissime lanceolatis, interdum ovatis acutis v. acuminatis, 1–3 cm. longis.

Inflorescentia rarissime subuniflora, saepissime 3–9 flora corymboso-paniculata, ramis valde elongatis. Pedunculi graciles teretes dense pubescentes saepe viscosi. Flores mediocres v. magni subnutantes, concolores v. discolores. Sepala ovata v. ovato-oblonga, nervis tribus ramosissimis percursa, apice acuta v. obtusa, cuneato-attenuata v. acuminata, basi saepe abrupte constricta, 14–45 mm. longa, latitudine circiter  $\frac{1}{2}$  longitudinis dorso puberula violacea v. purpurea v. straminea v. albida, petala 4–15 mm. superantia. Petala glabra v. calcaria puberula, v. purpurea v. violacea v. straminea v. ochroleuca v. albida; lamina obovata, apice truncata rarius truncato-rotundata, 11–15 mm. longa; calcar e basi conoidea sensim in partem apicalem tenuiter cylindricum v. subulatum attenuatum, raro uncinatum incurvum saepius rectum aut a basi aut apicem versus incurvum, laminæ subaequale v. ea sesquialongum raro duplo longius v. duplo brevius, apice manifesto v. vix capitatum.

Stamina longitudine inaequalia, numerosa, longiora petalorum limbum subaequantia v. paullo superantia, glabra, filamenta angusta e basi paullum dilatata sensim attenuata; antherae oblongae v. ellipticae muticae circiter 2 mm. longae. Parastemones ovato-lanceolati vix v. distincte undulati acuti ovaria superantes.

Pistilla 5–9, stamena vix v. manifesto superantia, 9–14 mm. longa; ovaria cylindrica dense hirta plus minus glanduloso-pilosa, in stylum subulatum parte inferiore hirtum apico rectum v. recurvum aequilongum v. sesquialongum attenuata.

Folliculi 5–9 patuli subcoriacei subcylindrici, e basi ovoidea sensim attenuati, apice oblique rotundato-truncati, nervis obliquis crebris prominentibus plus minus anastomosantibus reticulati, sine stylo 18–24 mm. longi, plus minus hirti, stylis filiformibus 6–10 mm. longis apice saepe circinnatim recurvis rostrati.

Semina numerosa cuneato-obovoidea ventre carinata, interdum subcostata, nigra, nitida v. subopaca, vix punctulata, 2–2.5 mm. longa.

### Tabella ad varietates Aquileiae Moorcroftianae' determinandas.

- I. Caulis plus minusve conspicue foliosus et saepissime (30–) 40–90 cm. altitudine, basim versus glabrescens v. parce hirtulus.
  - A. Calcar petalorum lamina brevius v. eam vix aequans.
  - A. Sepala 19–25 mm. longa; calcaria uncinata v. plus minus manifesto incurva; folia basilaria saepe triternata.]

*A. fragrans*".

- B.** Sepala 25–30 mm. longa; calcaria recta v. vix incurva; folia basilaria bibernata. (Flores albidi v. straminei.)

**A. glauca''.**

- B. Calcar lamina paulo v. multo longius.

- A.** Laciniae foliorum caulinorum mediorum oblongo-lanceolatae; segmenta foliorum floralium inferiorum lanceolata, latitudine  $\frac{1}{2}$ – $\frac{1}{4}$  longitudinis; calcar gracillimum lamina vix longius subhamatum; (sepala fere 2·5 cm. longa; stirps aspectum A. thalictrifoliae praebens).

**A. Winterbottomiana''.**

- B.** Laciniae foliorum mediorum linearī-oblongae v. obtuse ovatae v. rotundato-subquadratae. Calcar rectum v. leviter incurvum, gracile v. crassiusculum.

- a. Sepala 25–50 mm. longa. Carpella 6–9.

**A. suaveolens''.**

- b. Sepala 14–23 mm. longa. Carpella 5–6.

- a. Foliola infra plus minus glauca.

**A. kunaorensis''.**

- b. Foliola utrinque viridia, infra pallidiora.

**A. Wallichiana''.**

- II.** Caulis (saepissime) subnudus v. foliis uno altero vix conspicuo instructus, 10–40 cm. altitudine, a basi usque villoso-pubescentibus aut, uti petioli petiolulique, glanduloso-hirtus.

- A. Caulis usque a basi, uti petioli petiolulique, villoso-pubescentibus, 10–30 cm. altitudine.

**A. afghanica''.**

- B. Caulis usque a basi, uti petioli petiolulique, glanduloso-hirtus, 30–40 cm. altitudine.

**A. subaphylla''.**

- XI. Aquilegia leptoceras' Fisch. et Meyer** (1837). (*Aquilegia leptoceras Fisch. et Mey.* Linnaea XII, Litt. 153; Bot. Reg. X, 64; Flore des Serres III, 296),

caule humili (circiter 20 cm. alt.), foliis aut bibernatis, aut ternatis atque foliolis tripartitis, glabris, terminali obovato cuneato apice ad tertiam quartamve partem trilobo latitudine circiter  $\frac{3}{4}$  longitudinis, floribus compluribus, discoloribus, sepalis stellatim patentibus ovato-oblongis 18–22 mm. longis, petalorum lamina apice rotundato-truncata v. retusa, calcare conico recto v. subincurvo, staminibus pet. limbum superantibus, carpellis 5.

### Descriptio subspeciei.

Caulis humilis (circiter 20 cm.) teres pluriflorus aut basim versus glaber aut, uti petioli petiolulique, totus pubescens. Folia longiuscule petiolata, partim bibernata, partim ternata atque foliolis profunde tripartitis; petioli foliorum maiorum 4–8 cm. longi basi vaginantes; petioluli primarii teretes terminalis 1–2 cm. longus laterales  $\frac{2}{3}$ – $\frac{6}{7}$  terminalis longitudine; foliola membranacea, viridia infra pallidiora, glabra, foliorum bibernato um sessilia; terminale obovatum basi cuneatum apice ad

quartam v. tertiam partem trilobum 15–20 mm. longum latitudine circiter  $\frac{2}{3}$  longitudinis; lateralia oblique obtriangularia plus minus profunde biloba; lobis foliolorum omnium parce inciso-crenatis, crenis obtusis. Folia caulina inferiora 1–3 brevius petiolata, subbibernata; intermedia sessilia trifoliolata v. trisepta plus minus fissa; petiolaria lanceolata bracteiformia.

Flores mediocres. Sepala stellatim patentia, ovato-oblonga, basi breviter constricta, apice obscure producto subobtusa, 18–22 mm. longa, latitudine circiter  $\frac{1}{2}$  longitudinis, laete lilacino-caerulea, apicem versus albescens, vero apice viridescentia. Petalorum lamina obovato-cuneata, apice rotundato-truncata v. retusa, 10–12 mm. longa, albida apice ochroleuca; calcar graciliter conicum, rectum v. modice incurvum, apice subcapitatum, fere  $\frac{3}{2}$  laminae longitudine, laete caeruleum. Stamina petala 2–5 mm. superantia; antherae elliptico-oblongae muticae flavae. Pistilla 5, stamina paullo superantia; ovaria pubescentia (an unquam glabra ?); stylis subrecti.

Folliculi recti v. apice divergentes. sine stylo 20–22 mm. longi, (glabrescentes?).

Dauria, Sibiria transbaicalensis.

Valde affinis A. Moorcroftiana' var. kunaorensi.

XII. *Aquilegia lactiflora* Kar. Kir. (*Aquilegia lactiflora*, Karelina et Kirilow in Mosc. Bull. 1841, vol. XIV, p. 374),

caule subprocero folioso parce ramoso, foliis bibernatis, foliolis sessilibus v. breviter petiolulatis maiusculis viridibus ad medium fere tripartitis segmentis inciso-crenatis crenis rotundatis v. oblongis, inflorescentia fere triflora, sepalis oblongo-lanceolatis 15–20 mm. longis lacteis petalorum limbo fere duplo longioribus, calcariis gracilibus rectis v. leviter incurvis laminae aquilonis v. ea manifesto longioribus apice nectarifero vix capitatis, staminibus petalorum laminam rotundatam subaequantibus, carpellis 5 villosis.

Area geographica—Montes Tarbagatai Asiae rossicae.

XIII. *Aquilegia pubiflora* Wall. (*Aquilegia pubiflora* Wall. Cat. 4714; Royle Ill. pag. 55),

caule (15–) 40–70 cm. altitudine saepissime superne ramoso et folioso, foliis basilaribus saepius bibernatis, foliolis mediis subrhomboidibus v. subreniformibus saepius ad medium trifidis latitudine  $1\frac{1}{2}$  longitudinis, foliis caulinis saepissime conspicuis, inflorescentia (1–) 2–5 (-10)-flora, floribus mediocribus, sepalis ovato-lanceolatis (12–) 20–28 mm. longis latitudine saepius  $\frac{1}{3}$  longitudinis, petalorum lamina apice rotundata raro rotundato-truncata, calcare uncinato rarius modice incurvo saepissime quam lamina breviore, staminibus laminam subaequantibus, carpellis 5–6 glanduloso-hirtis, folliculis fere 2 cm. longis.

Floret a Maio ad Iulium.

Area geographica—Himalaya occidentalis temperata (frequens) et subalpina (rara), Afghanistan orientalis.

*var. a. Cunninghamii P. B.,*

caule 25–40 cm. altitudine plus minus folioso paucifloro, sepalis acutis petala paullo superantibus, calcaribus incurvis neque uncinatis.

Himalaya pentapotamica (*Cunningham!*).

*var. β. Massuriensis Royle,*

caule 40–80, raro 12–30 cm. altitudine plus minus ramoso (2–) 3–8 floro conspicue folioso, sepalis longe acuminatis petala multo superantibus, calcaribus brevibus.

*subvar. αα* caule 40–80 cm. alt. calcare subcircinnatum incurvo. Afghanistan, in valle Kurrum (*Aitch!*), in monte Shendtoi (*Aitch!*); Kashmiria (*H. Sah.!*, *Sedgewick!*); Dalhousie (*herb. Dr.!*); Sirmor, in monte Chúr 9–10,000' (*herb. Dr.!*); Simla (*T. T.!*), in silva Mashobra (*G.!*); Jaunsar Bahar, in montibus Drobán (*B.!*), ad Pakri (*B.!*); Baira (*B.!*), montes Trusa (*B.!*); Tihri-Garhwal: supra Bhowáni 13–14000' (*D.!*), in valle Gangis 6–7000' (*D.!*), ad Nag Tibba 8–9000' (*Gollan!*), Massuri (*Royle! K.!*); Kumaon; prope Naini Tal (*A! Dd!*), in valle Nila 8–9000' (*D.!*).

*subvar. ββ.* caule 12–30 cm. altitudine, calcare hamato rarius levius incurvo.—In montibus prov. Simla (*herb. Dr.!*).

*var. γ. subnuda P. B.,*

caule gracili 15–35 (–40) cm. altitudine simplici v. apice 2–3-floro vix folioso, sepalis longe acuminatis petala manifesto superantibus, calcaribus brevibus subcircinatum incurvis. N. W. Him. (*Wall. Cat. 4714!*); ad Serahan (*Scz!*), Dalhousie 7000' (*Clarke!*) Simla (*Scz!*), Garhwal (*herb. Falc.! K.!*).

### Descriptio subspeciei.

Rhizoma horizontale v. verticale, subcylindricum v. subfusciforme, cortice nigra, collo foliorum reliquiis vestitum et 3–15 mm. crassitudine, caules 1–3 edens.

Caulis erectus, superne ramosus raro simplex, teres, leviter sulcatus, fistulosus, florifer saepissime 40–70 cm. rarius 15 cm. altitudine, basi 1·5–3 mm. crassitudine, foliosus raro subnudus, subglaber v. plus minus hirtellus.

Folia basilaria longissime petiolata caule florifero saltem subduplo breviora 5–30 cm. longa; petiolus basi in vaginam lanceolatam membranaceam 10–30 mm. longam convergentim nervosam dilatatus, subteres tenuiter sulcatus, basi supra leviter canaliculatus, 2·5–20 cm. longus, 1–2 mm. crassitudine; lamina biternata rarius triternata, raro folio uno altero ternata atque foliolis trisectis; petioluli primarii graciles subglabri v. prope insertionem petiolorum secundiariorum praesertim villosi-pubescentes, terminalis 12–50 mm. longus 0·4–0·8 crassitudine, laterales  $\frac{5}{6}$ – $\frac{2}{3}$  terminalis longitudine; foliola tenuiter membranacea, viridia infra pallidiora, terminale longiuscula v. breviter petiolatum v. subsessile circumscriptione subrhombicum sub-isodiametricum 1–4·5 cm. longum latumque et basi late cuneatum, vel semiorbi-

culare v. subreniforme basique subtruncatum, saepissime fere ad medium palmatim trilobum rarius ad duas partes v. fere ad basim usque tripartitum, lobo medio cuneato-obovato v. breviter oblongo, latitudine  $\frac{2}{3}$ – $\frac{1}{2}$  longitudinis, symmetrico v. asymmetrice lobato-crenato crenis lateralibus duabus saepius integerrimis terminali brevioribus, lobis lateralibus breviter linearie-oblongis parce crenatis v. irregulariter inciso-crenatis crenis paucicrenulatis v. integerrimis; petiolulus secundarius medius cm. longus v. subnullus, laterales terminali manifesto breviores v. sessiles; foliola lateralia trapezoidea asymmetrice lateque cuneata, ad medium v. fere ad basim inaequaliter bipartita v. tripartita lobatae partitione externa inaequaliter crenate bilobata media triloba v. tricrena, lobis crenisve integerrimis v. paucicrenulatis, crenis apice obtusis v. rotundatis, ovatis v. breviter oblongis.

Folia caulinia intermedia sparsa sursum gradatim minora et brevius petiolata, basilaribus subconformia sed foliola haud raro subsessilia et lobi saepe manifestius lineari-oblongi; folia floralia inferiora brevissime petiolata, petiolo ad vaginam linearem 3–7 (–16) mm. longam reducto, ternata v. subbiternata foliolis longe petiolulatis trisectis v. tripartitis, segmentis incisis laciniis sublinearibus crenato-serratis rarius lanceolatis; folia floralia superiora subsessilia trisepta, segmentis lateralibus integris lanceolatis, rarius trifidis, integerrimis v. parce serratis, terminali integro v. trifido, summa saepe bracteiformia lanceolata.

Inflorescentia raro uniflora saepissime 2–5 (–8)-flora, laxissima. Pedunculi graciles 2–10 cm. longi leviter sulcati v. teretes, apicem versus pilis patentissimis dense pubescentes interdum viscosi. Flores mediocres erecti v. nutantes purpurea v. lurida, concolores. Sepala membranacea ovato-lanceolata longe acuminata rarissimo cuneato-acutata, basi saepe constricta, apice semper obtusiusculo herbacea, 20–28 rarius 12–16 mm. longa, latitudine saepissime circiter  $\frac{1}{3}$ , rarius  $\frac{1}{7}$  v.  $\frac{1}{2}$  longitudinis, nervis 3 ramosis apicem versus convergentibus percursa, petala 6–14 mm. excedentia rarissime petala paullulo tantum superantia, dorso plus minus pubescencia. Petala dorso puberula; lamina oblongo-obovata apiceque rotundata rarius oblonga truncata 11–18 mm. longa; calcar e basi ample conoidea subabrupte v. sensim in partem apicalem subcylindricam v. leniter conicam attenuatum, apice circinnatum v. uncinatum incurvum  $\frac{1}{3}$ – $\frac{1}{2}$  laminae longitudine rarius leviter incurvum, apice vix capitatum. Stamina 30–40, laminam petalorum vix superantia; filamenta inaequalia, longiora 7–9 mm. breviora 5–6 mm. longa, e basi modice dilatata in partem superiorem angustissime linearem angustata; antherae conformes, oblongae, 2–2.5 mm. longae. Parastemes oblongi, apice acuto apiculati, subundulati, 5–6 mm. longi, sub-persistentes. Pistilla 5–6, erecta v. subpatula, 10–13 mm. longa; ovaria cylindrica patentia pubescencia, in stylum gradatim v. subabrupte attenuata; styli subulati ovario vix v. multum longiores, apice ad ultimum recurvi.

Folliculi 5–6 chartacei, subcylindrici et apicem versus paullum attenuati, in stylum filiformem 5–6 mm. longum oblique attenuati, tenuiter sed conspicue crebreque reticulato-nervosi, subglabri, sine stylo circiter 2 cm. longi, aut paralleli aut saepissime a medio recurvi et apice late divergentes.

Semina numerosa, oblonga, sectione transversa subtriangularia dorso leviter curvata ventre carinata, testa nigra v. subbrunnea nitida laevi.

Folia et foliola A. vulgari plerumque subsimilia, sed interdum omnino sunt Aquilegiae pyrenaicae.

XIV. *Aquilegia Ottonis' Orph.* (*Aquilegia Ottonis, Orphanides* in Boiss. Diagn. ser. II. No. 1 pag. 14 et 15; *Aquilegia Amaliae Held-*

*reich* in Boiss. Diagn. ser. II. No. 1 pag. 11; A. pyrenaica=A. Bertolonii =A. Magellensis Porta et Rigo exsicc.; A. nevadensis Boiss. ?),

canle, uti petioli petiolulique, glanduloso-pubescenti, 35–70 cm. altitudine 1–6 floro folioso; foliis basilaribus biternatis; foliolis sessilibus v. saepius petiolulatis supra viridibus infra glaucis basi longe cuneatis, terminali ad medium usque v. ultra medium tripartito, partitione media crenis tribus, lateralibus crenis binis incisis, crenis integris v. crenulatis; foliis caulinis inferioribus duobus v. tribus foliis basilaribus subconformibus v. brevius petiolatis, superioribus trifoliolatis v. trisectis segmentis linear-lanceolatis, summis lanceolatis integris, floribus paullo minoribus quam in *Aquilegia vulgaris* typica (var. varia *Maly*), sepalis oblongis acutis pallide violaceis v. laete caeruleis, petalorum lamina albida apice rotundata v. rotundato-truncata, calcaribus apice subincurvis laminae subaequilongis, staminibus limbum superantibus, carpellis parallelis v. apice divergentibus, 12–15 mm. longis seminibus granulatis.—Graecia, Italia meridionalis, (Sierra Nevada ?).

*var. a. typica*,

foliolis in segmenta oblonga ultra medium incisis, sepalis calcari- busque laete caeruleis obtusiusculis, petalis apice rotundato-truncatis, (carpellis apice divergentibus).

*var. β. Amaliae*" Heldr.,

foliolis ad medium usque bi- v. trilobis, sepalis calcaribusque pallide violaceo-caeruleis acutis, petalis apice rotundatis, (carpellis parallelis).

**Tabella analytica ad subspecies *Aquilegiae vulgaris* Lin.  
determinandas.**

- I. Alabastri subcylindrici. Sepala in flore aperto erecto-patuli (oblongo-lanceolata. Flores bicolores. Calcaria saepissime uncinata).

A. *oxysepala*' Trautv.

- II. Alabastri, neglectis calcaribus, plus minus ovoidei v. ellipsoidei. Sepala in flore patentia v. patentissima.

A. Calcaria in flore aperto uncinatum incurva.

- A. Calcaria laminae subaequilonga v. ea manifeste longiora.

- a. Stamina longiora lamina 1 mm. breviora v. 1–10 mm. longiora.

- a. Folliculi 18–25 mm. longi, e basi ovoidea attenuati. Folia caulinis infima raro foliis basilaribus subconformia, (foliola fol. bas. 10–50 mm. longa).

- a. Crenae fol. bas. breviter lineari-oblongae, mediis rotundato-subquadratis. (Foliola tenuia, plus minus glauca; calcaria gracilimata gradatim hamata; flores albidi v. straminei v. pallide purpurei).

A. *Moorcroftiana*' Winterbottomiana".

- b.** Crenae fol. bas. saepissime rotundatae v. obtusae. (Foliola viridia; calcaria crassisuscula saepe subabrupte uncinata; flores purpureo-caerulei v. violacei v. caeruleo-lilacini v. rufescenti-cinnamomei.)

**A. vulgaris' Lin.**

- b.** Folliculi 12–15 mm. longi. Folium caulinum infimum saepissime foliis basilaribus dissimile. Foliola media fol. bas. 12–20 mm. longa.

**A. Bertolonii' Schott.**

- b.** Stamina quam lamina 2–11 mm. breviora.

- a.** Crenae mediae fol. bas. rotundatae v. rotundato-subquadratae. Folia caulinia saepius basilaribus dissimilia. Lamina petalorum saepius apice rotundata.

- a.** Pistilla 5. Folliculi 12–15 mm. longi subcylindri. (Sepala 24–30 mm. longa, apice acuta v. acuminata. Flores caerulei).

**A. Bertolonii' Schott.**

- b.** Pistilla (5) 6–12. Folliculi 20–30 mm. longi, e basi ovoidea plus minus attenuati. (Sepala 16–45 mm. longa. Flores saepe discolores.)

**A. glandulosa' Fischer.**

- b.** Crenae mediae fol. bas. breviter linear-oblongi. Folia caulinia inferiora basilaribus subconformibus, laciinis vero saepissime magis linearibus. (Sepala saepissime 32–45 raro 27 mm. longa. Flores subconcolores. Folliculi 24–30 mm. longi.)

**A. alpina' Lin.**

- B.** Calcaria  $\frac{1}{2}$ – $\frac{4}{5}$  laminae longitudine.

- a.** Stamina petalorum limbo 2–11 mm. breviora.

- a.** Calcaria e basi late conoidea in apicem uncinatum attenuata. Caulis 12–40 cm. altitudine. Petalorum lamina rotundata v. oblonga et apice obtusa. Flores caerulei v. discolores. Sepala saepe plus 30 (16–45) mm. longa.

**A. glandulosa' Fischer.**

- b.** Calcaria gracilia. Caulis 50–70 cm. altitudine. Lamina rotundato-truncata. Flores violacei. Sepala minus 30 mm. longa.

**A. vulgaris' Lin. Bernardi'' Gren.**

- b.** Stamina limbum fere attингentia v. superantia.

- a.** Petalorum lamina apice rotundato-truncata v. plane truncata.

- a.** Caulis 3–25 cm. altitudine, 1- (rarissime 2-) florus, saepissime unifolius. Flores caerulei v. petala purpurea. Sepala ovata apice obtusa.

**A. nivalis' Falz.**

- b.** Caulis 40–70 cm. altitudine, foliosus, 2- v. pluriflorus. Flores albi v. straminei v. pallide purpurei. Sepala ovato-lanceolata v. elliptico-oblonga breviter acuminata.

**A. Moorcroftiana' fragrans'.**

- y.** Caulis 12–80 cm. altitudine, saepius pluriflorus et foliosus. Sepala saepissime anguste ovato-lanceolata longe acuminata. Flores purpurei v. luridi.

**A. pubiflora' Wall.**

b. Petalorum lamina apice rotundata.

**A. pubiflora' Wall.**

B. Calcaria recta vel leviter incurva neque uncinata.

Α. Petalorum lamina fere 6 mm. longa. Calcar lamina plus duplo longius.  
(Stirps glanduloso-pubescentia pluriflora foliosa.)

**A. grata' Maly.**

Β. Lamina 9–45 mm. longa. Calcar laminae subaequilongum v. sesqui-longum, rarius lamina fere duplo brevius, rarissime duplo longius.

a. Stamina limbo 2–6 mm. breviora. Flores caerulei.

γ. Petala apice saepissime rotundata. Sepala 14–27 mm. longa. Folliculi subcylindrici, 8–15 mm. longi.

α. Foliolum medium foliorum basilarium bitemnatorum triangulariter cuneato-ovovatum v. cuneato-deltoidem, latitudine  $\frac{1}{2}$ – $\frac{1}{3}$  longitudinis. Foliola distantia v. approximata. Caulis petioli petioluli saepius hirti v. pubescentes.

**A. viscosa' Gouan.**

β. Foliolum medium fol. bas. reniforme v. late rhombicum, latitudine ( $\frac{1}{2}$ )  $\frac{4}{5}$ – $\frac{3}{2}$  longitudinis. Foliola sese attingentia v. saepius sese obtegientia.

**A. pyrenaica' DC.**

b. Petala apice rotundato-truncata. Sepala 32–45 mm. longa. Folliculi e basi ovoidea attenuati 25–30 mm. longi.

**A. alpina' Lin.**

b. Stamina petalorum limbum fere attingentia v. superantia. Flores haud raro discolores, sepala saepe albida v. straminea v. violacea.

α. Petalorum lamina apice rotundata.

α. Flores concolores. (Semina minutissime punctulata, fere laevia).

αα. Sepala oblongo-lanceolata (15–20 mm. longa) petalaque colore lacteo.

**A. lactiflora' Kar. Kir.**

ββ. Sepala ovato-lanceolata rarissime ovata (12–28 mm. longa). Flures purpurei v. luridi.

**A. pubiflora' Wall.**

β. Flores discolores, sepalis ac calcaribus violaceo-caeruleis, petalis albidis. Semina granulata.

**A. Ottonis' Amaliae'' Heldr.**

β. Petalorum lamina rotundato-truncata.

α. Semina granulata. (Caulis 35–70 cm. alt., foliis bas. bitemnatis, sepalis calcaribusque laete caeruleis, lamina pet. albida).

**A. Ottonis' typica'' Orph.**

β. Semina microscopice punctulata, fere laevia.

aa. Latitudo folioli terminalis fol. bas.  $\frac{1}{2}$ – $\frac{3}{2}$  longitudinis. Folia basilaria vix unquam simpliciter ternata.

αα. Flores saepius 3–9. Sepala apice cuneato-acutata v. acuminate. Calcaria subulata. Pet. lamina apice rotundato-truncata.

αα. Flores caeruleo-violacei, concolores.

**A. vulgaris Lin. recticornu P. B."**

ββ. Flores concolores albidi v. straminei, v. discolores sepalis dilute violaceis petalis ochroleucis v. caeruleis v. purpureis.

**A. Moorcroftiana' Wall.**

**bb.** Flores solitarii v. raro 2. Sepala apice obtusa. Calcaria crassuscule conoidea v. subcylindrica v. saccata. Pet. lamina apice truncata et sinuata, v. retusa, v. emarginata.

**A. nivalis' Falc.**

bb. Latitudo folioli medii fol. bas. fere  $\frac{3}{4}$  longitudinis. Folia saepe simpliciter ternata. (Sepala caerulea, pet. lamina ochroleuca.)

**A. leptoceras' Fisch. et Mey.**

Aquilegia autem inter Ranunculacearum genera recentior videtur esse. Quae sententia non solum insigni illa mutabilitate formarum atque summa omnium inconstantia notarum quibus rerum herbariarum periti ad species discernendas uti consuerunt, sed etiam subspecierum per regiones boreales orbis terrarum distributione comprobatur. Nam varietate varia Aquileiae vulgaris typicae excepta, nulla subspecies vel varietas montuosis Asiae communis est cum regionibus Europae occidentalis, atque una tantum species, A. glandulosa, non solum in iugis Sibiriae sed etiam in montibus transsilvanicis nascitur. Aquilegia quidem atrata in saltibus thianshanicis gigni dicitur, sed veri simile est stirpem illam in varietate Karelini Aquileiae vulgaris adnumerandam esse. Neque dubitandum est quin stirpes illae himalaicae, quae morphologicē ab A. pyrenaica' et A. alpina' nullo modo differunt, varietates existimandaes sint Aquileiae nivalis' et Moorcroftiana', nec proxime connexae cum formis illis in Alpibus et monte pyrenaeo natis.

Atque propter artissimam omnium Aquilegiarum cognitionem vix difficile esse dixeris historiam generis vestigare. Et certum quidem est nectaria formae illius priscae, ex qua omnes species Aquileiae ortae sunt, ecalcarata fuisse, cum non solum flores monstrosas A. vulgaris ecalcaratas in hortis nasci videamus, sed etiam, quod maximi argumenti est, species una rite ecalcarata a Potanino ex Kansu allata sit. Sed inter stirpes generi Aquileiae propinquas vix ullae sunt quae tam insignem Aquileiae ecalcaratae vel Aquileiae brevistylae similitudinem praese ferant quam Isopyri species nonnullae asiaticae et americanae. Et petala gibba Aquileiae ecalcaratae petalis quarundam formarum Isopyri microphylli et grandiflori simillima, sed duplo vel triplo maiora; haec interdum a vera basi aperta minimeque bilabiata, obovato-oblonga, dorso vix minus gibba quam petala A. ecalcaratae, apice retusa v. emarginata, nervis interdum ramosis. Et quamquam nectaria Aquileiae brevistylae, quae statura foliorumque figura Isopyro bitemnato quam proxime accedit, calcarata sunt, eorum laminae haud raro more Isopyri grandiflori v. anemonoidis apice sunt emarginatae. Carpella autem A. brevistylae interdum glabra sunt et nucleus ovulorum binis integumentis vestitus, uti sunt in grege Isopyrorum.

Quarum rerum considerationem sequentibus nobis licitum concessumque sit speciem illam antiquam, cui Aquilegiam cascām nomen dicere liceat, quasi construere atque aedificare. Stirps erat altitudine mediocri, foliis biternatis, floribus parvulis, sepalis quinque, nectariis subconcavis gibberis apice emarginatis, filamentis staminum intimorum lanceolatis antheris parvis terminatis, carpellis quinque glabris, seminibus laevibus. Hanc speciem terra genuit illa, qua Asia et America olim iuncta erant. Ex ea natae sunt species illae priscae asiaticaæ atque americanae: primum Aquilegia ecalcarata, tum, gibbere in calcar producto, Aquilegia parviflora et Aquilegia brevistyla. Cum autem initio huius aevi planities Sibiriae et Europæ septentrionalis e mari glaciali emersissent et caelum mitius fieret, species illae priscae primum varietates tres ediderunt: unam carpellis glabris (*A. sibiricam*), alteram (*A. viridiflorum*), Aquilegiae parviflorae proximam, sepalis vix praeter nectaria eminentibus sed carpellis hirtis, tertiam sepalis petalisque valde variabilibus, carpellis autem semper hirtis. Tertia haec species parens fuit duarum gregum, quarum una, sepalis lanceolatis erectopatulis alabastris subcylindricis, regionum illarum incola fiebat quae a mari gobiensi ad orientem solem spectabant; altera autem non solum per regiones Asiae borealis ac centralis, sed etiam per Europam totam usque ad montem Atlantem late diffundebatur. Mirifica vero eius facultas ad varias conditiones caeli loci insectorumque se accommodandi. Nam flores mediocres stirpium in locis silvaticis demissioribus ortarum in montibus altioribus saepe maximi atque speciosissimi evadunt, ut facilius apes papilionesve procul ad se allicant. In locis humidioribus autem caules petioli foliolaque saepe magis villosa vel hirta, atque in stillicidiis rupestribus conspicue glanduloso-pilosa.

Ab *Aquilegia* autem vulgari mutabilitate nequaquam superata est grex illa quae, orta, ut videtur, in Asia orientali, per Alashkam et Montes saxosos diffusa usque ad mare atlanticum et in Americam centralem pervenit.

Vix dubitandum esse opinamus quin *Aquilegia canadensis* originem trahat a parente varietatis illae *Aquilegiae formosae* cuius imaginem Planchon\*) in tabula nomine *Aquilegiae arcticae* depinxit; verisimile autem est *Aquilegiam arcticam*, quae vix a varietate kamtshatica a Fischero descripta calcaribus brevioribus videtur differe, profectam esse a forma illa prisca Asiae orientalis, quae, immigrans in regiones mandshuricas et sinenses in *Aquilegiam oxysepalam* commutata est. Nam utrum stirps illa, cui *Aquilegiam hybridam* Sims dixit nomen, hibrida fuerit an species vera nescio; stirpes vero, quas Ledebour scribit e semi-

\* Flore des Serres fig. 795.

nibus davuricis in horto dorpatensi natas esse, vix dixeris hibridas fuisse Aquilegiae vulgaris et Aquilegiae canadensis. Folia autem et alabastri figura et sepalorum directio et color floris, uti depicta sunt in tabula Simsii, omnino sunt Aquilegiae oxysepala, neque similitudo Aquilegiae hybridae cum Aquilegia arctica et A. canadensi minus insignis.

At vero quanta nectariorum est mutabilitas in Aquilegia formosa ! Nam varietas arctica, in tabula picta a Planchon lineis descripta et a Bongard in insula Sitcha lecta, non solum sensim sensimqne in Aquilegiā truncatam, varietatem eximiam, transit, sed calcaria stirpium in horto kewensi cultarum gracillime evadent atque calcaribus Aquilegiae caeruleae simillima. At Lebedour in annotatione ad Aquilegiā formosam discriminem huius speciei et Aquilegiae canadensis partim in longitudine calcaris cum lamina comparata ponit ; dicit enim de A. formosa :—‘calcaribus rectis lamina truncata quadruplo longioribus genitalia subaequantibus, sepalis ovato-lanceolatis patentissimis genitalia calcariaque superantibus,’ et de A. canadensi :—‘calcaribus rectis lamina truncata duplo longioribus, genitalia subaequantibus, sepalis ovatis calcariibus genitalibusque brevioribus, stylis demum exsertis.’ Vidimus tamen specimina A. canadensis var. typicae calcaribus lamina quintuplo longioribus et sepalis florū apertorum androecio sublongioribus.

Atque formae illae cultae, quae cum stirpibus kamtshaticis quoad calcari longitudinem cum laminae mensura comparatam congruere videntur, ab Aquilegia chrysantha non distinctae nisi notis, ut videtur, vilibus. De staminibus Aquilegiae caeruleae ante diximus. Mensura autem calcari cum limbo nectariorum comparata vehementer variat ; lamina enim nunc vix vicesima pars calcari nunc calcare ferme sesqui longior. Forma quoque limbi petalorum vix ad species discernendas apta ; nam in exemplaribus in horto kewensi cultis lamina a medio versus apicem attenuata est,\* quod vidimus etiam in Aquilegia truncata ; in varietate arctica autem Planchonii et in varietate typica Fischeri† nectariorum lamina est apice truncata. Aquilegiae igitur americanæ idem spectaculum praebent atque Aquilegiae asiaticæ et europææ : omnes enim partes, quae quidem ad praegnationem ope insectorum factam aptae sint, eximie mutabiles esse, praesertim cum pollen etiam sine adiumentis externis et adventiciis in stigmata eiusdem floris pervenire potest. At vero cum meminimus Aquilegiā arcticā, formosam Fischeri, truncatam ad eandem speciem pertinere atque stirps illa in tabula 6552 Bot. Mag. depicta, non possumus non concludere Aquilegiā caeruleam et chrysantham quoque ad eandem gregem esse redigendas.

\* Vide etiam Bot. Mag. tab. 6552.

† Ledebour, Flora rossica vol. I.

Discrimen autem Aquilegiae Skinneri et A. canadensis in magnitudine florem positum est. Sepala vero A. caudadensis typicae nunc vix 12 mm, nunc fere 24 mm longa, ac magnitudinem florum notam demonstravimus esse maxime dubiam in Aquilegiis himalaicis. Quapropter credimus fore ut formas medias inter A. canadensem et A. Skinneri in Mexico boreali inveniantur.

Insigne unum et solum quod, praeter indumentum carpellorum, magis constare reperimus in cognitione Aquilegiae vulgaris est directio sepalorum; nam cum in plerisque subspeciebus sepala patentia vel patentissima sint, in Aquilegia oxysepala sepala saepissime erecto-patula reperiuntur, vix unquam subpatentia. Non est hoc tamen semper signum certum speciei bonae; nam sepala A. canadensis typicae interdum magis patent quam solent in stirpibus plurimis, neque sunt, ut videtur, semper patentissima in Aquilegia chrysantha. Quodsi hanc notam putemus ad species internoscendas non satis habere facultatis, ac si reliquorum inconstantiam signorum in mente agitemus, harum rerum cogitatione coactis nobis, quamvis invitis, concedendum esse videtur, formas omnes americanas ad duo species referendas esse: unam, Aquilegiam brevistylam, quae vinculis propinquitatis maxime cum Aquilegiae sibirica coniuncta est, alteram quae, magis cognata Aquilegiae oxysepala, Aquilegiam formosam, truncatam, caeruleam, chrysantham, flavescentem, canadensem, Skinneri amplectitur. Hac sententia perducti Aquilegias americanas hoc modo disponendas esse existimamus.

(1). **A. brevistyla** Hook.

(2). **A. canadensis** Lin.

*subsp. I. A. formosa*' Fischer.

*subsp. II. A. caerulea*' James.

*subsp. III. A. flavescens*' Wats.

*subsp. IV. A. canadensis typica* Lin.

*subsp. V. A. Skinneri*' Hook.

Si vero directioni sepalorum maiorem ad species discernendas vim tribuamus, formas americanas hoc modo disponere licuerit.

(1). **A. brevistyla** Hook.

*var. a. vera*, carpellis pubescentibus.

*var. β. leiocarpa* P. B., carpellis glaberrimis. Montes saxosi.

(2). **A. formosa** Fischer.

*Subsp. I. vera*.

*var. a. arctica* Planch., nectariorum lamina truncata, calcaribus subinfundibuliformibus lamina sesqui v. subduplo longioribus.

*var. β. kamtshatica* *P. B.*, lamina truncata, calcaribus lamina subquadruplo longioribus.

*var. γ. truncata* *Fisch.*, lamina truncata v. apicem versus obtusa calcaribus conicis vel crasse subulatis multo breviore.

*var. δ. saxicola* *P. B.*, lamina rotundato-ovata apice obtusa calcaribus subulatis breviore.

*Subsp. II. caerulea* *James.*

*var. α. macrantha* *Hook.*, floribus albidis v. plus minus caeruleis v. ochraceis.

*var. β. chrysantha* *A. Gray*, floribus aureis.

(3.) **A. flavescens** *Wats.*

(4.) **A. canadensis.**

*Subsp. I. typica.*

*var. α. vera*, sepalis 10–24 mm. longis, calcaribus lamina duplo v. quintuplo longioribus elongato-subinfundibuliformibus.

*var. β. Fendleri*, sepalis fere 9 mm. longis, calcaribus elongatis gracilibus.

*Subsp. II. Skinneri* *Hook.*

Aquilegiam Skinneri vero, dum formae mediae inter hanc formam et *A. canadensem* desunt, speciem propriam sumere licebit.

Adicimus tabellam analyticam ad species subspecies americanas determinandas.

- I. Calcar crassiuscule subulatum manifesto incurvum laminae aequilongum v. ea paullo brevius. Sepala 12–18 mm. longa. Stamina petalorum limbo brevioria. Carpella glabra v. pubescentia.

**A. brevistyla** *Hook.*

- II. Calcaria aut elongato-infundibuliformia lamina paulo v. permulto longiora recta v. leviter incurva aut gracillime subulata aut conica. Stamina saepius ultra limbum pet. eminentia vel, si limbo brevioria, sepala 2 cm. longa v. longiora. Carpella hirta.

- A. Sepala patentia v. patentissima.

- Α. Calcaria gracillime subulata.

- a. Filamenta in columnam subcylindricam sociata, stamna conspicue exserta. Flores aurei v. calcaria sepalaque plus minus lateritia v. rubra.

**A. formosa** *Fisch.*, *subsp. vera*, *ex parte.*

- b. Filamenta plus minus divergentes, haud raro in capitulum subglobosum congesta, v. si subparallela, stamna pet. lamina brevioria v. eam fere aequantia. Petalorum lamina apice truncata. Flores albi, ochroleuci, caerulei, aurei. (Calcaria 25–70 mm. longa.)

**A. caerulea** *James.*

- B. Calcaria elongato-infundibuliformia. Columna staminea cylindrica petala multo superans.

a. Calcar lamina sesqui v. permulto longius. Sepala calcariaque lateritia v. rubra.

**A. formosa** Fisch. subsp. **vera** ex parte.

b. Calcar lamina vix longius. Flores flavi. (Sepala 12–18 mm. longa.)

**A. flavescentia**, Wats.

B. Sepala erecta, erecto-patula v. vix patentia.

**A.** Calcaria 15–25 mm. longa. Folliculi fere 2 cm. longi.

**A. canadensis** Lin.

**B.** Calcaria fere 4 cm. longa. Folliculi 3–3·5 cm. longi. (Sepala virentia.)

**A. Skinneri** Hook.

Nunc progrediamur ad species, quas quidem accipiamus, rite definiendas.

Ne tamen nimia nominum ac synonymorum stirpium americanarum confusio extiterit, Aquilegiam formosam et flavescentem ab Aquilegia canadensi sciungemus, quae res necessitatem nobis affert, si quidem nobismet ipsis velimus constare, Aquilegiae oxysepalae ab Aquilegia vulgari separandae.

### I. *Aquilegia ecalcarata* Maxim.,

sepalis subpatentibus 1 v. fere 1·5 cm. longis, nectariis gibbis nec calcaratis, lamina apice complanata fere  $\frac{3}{4}$  sepalorum longitudine, carpellis hirtis. (Vix ab *A. parviflora* separanda.)

### II. *Aquilegia parviflora* Ledebour,

sepalis patentibus 1–1·4 cm. longis, nectariis breviter calcaratis, lamina apice obtusa concava sepalis subduplo breviore, carpellis hirtis.

### III. *Aquilegia viridiflora* Pallas,

sepalis patentibus v. patulis (virescentibus) 10–18 mm. longis, nectariorum lamina subcomplanata subbrevioribus v. fere  $\frac{7}{8}$  eius longitudine, calcaribus rectis v. apice incurvis, carpellis hirtis.

### IV. *Aquilegia brevistyla* Hooker,

sepalis patentibus 12–15 cm. longis, nectariorum lamina apice haud concava sepalis subduplo breviore, calcaribus crasse subulatis modice incurvis fere laminae longitudine, carpellis glaberrimis v. pubescentibus.

### V. *Aquilegia sibirica* Lam.,

sepalis patentibus v. patentissimis 13–25 mm. longis, nectariorum lamina apice non concava  $\frac{5}{8}$ – $\frac{2}{1}$  sepalorum longitudine, calcaribus subulatis apice hamatis, carpellis glaberrimis v. ad suturam ventrale minute puberulis.

### VI. *Aquilegia vulgaris* Lin.,

sepalis patentibus v. patentissimis nectariorum lamina saepissi-

me manifesto longioribus, alabastris (calcaribus neglectis) ovoideis v. ellipsoideis, nectariorum lamina apice non concava calcaribus rectis v. uncinatis forma varia, carpellis hirtis.

**VII. *Aquilegia oxysepala* Trautv.,**

sepalis erecto-patulis, nectariorum calcaribus hamatis (vix unquam rectis) subulatis lamina sepalis manifesto breviore sublongioribus, carpellis hirtis.

**VIII. *Aquilegia canadensis* Lin.,**

sepalis erectis v. erecto-patulis 9–25 mm. longis, nectariorum lamina longioribus, calcaribus lamina duplo v. quintuplo longioribus elongato-subinfundibuliformibus v. gracilibus, carpellis hirtis.

**IX. *Aquilegia flavescens* Wats.,**

sepalis plus minus reflexis nectariorum lamina paullo longioribus, calcaribus lamina vix longioribus elongato-subinfundibuliformibus subincurvis, (floribus flavis), carpellis hirtis.

**X. *Aquilegia formosa* Fisch.,**

sepalis patentissimis v. subreflexis rarius patentibus nectariorum lamina manifesto longioribus, calcaribus aut crassiuscula conicis lamina multo longioribus, aut elongato-subinfundibuliformibus lamina sesqui v. subduplo longioribus aut gracillime subulatis rectis v. modice incurvis, carpellis hirtis.

*Aquilegia* vero volubilis Maack mihi plane ignota.

Cognationes autem specierum generis Aquilegiae in tabula nostra prima monstrare conati sumus; in tabula secunda affinitates gregis Aquilegiae vulgaris exhibentur; in tertia denique propinquitates formarum americanarum indicavimus.

Atque ut in rerum, de quibus quaesierimus, repetitione per capita decurramus, haec nos existimamus demonstravisse:—

(1) indumentum caulis et foliorum ad species generis Aquilegiae discernendas non usui esse;

(2) folia basilaria ac caulina quoad divisiones foliolorumque figuram et magnitudinem ita variabilia esse ut ad species sciungendas non valeant, quod quidem saepe accidit in generibus, quae constant ex stirpibus, quarum folia sunt composita;

(3) partes eas stirpium, quae in praegnationale ope insectorum facta auxilio sint, saepe mutabilitate maxima affectas esse, ut notae ab iis sumptae, uti magnitudo colorque florum, nectariorum forma, mensurae comparatae nectarii ac staminum atque carpellorum, directio partis styli stigmatosae, haud raro dubiae sint minimeque certae;

(4) omnes Aquilegias artissima naturae colligatione consociatas esse, quod efficiat ut formae hibridae quam facillime ex formis diversis procreentur, quae res notissima est hortulanis;

(5) stirpes omnino similes non solum ex eadem forma sed etiam ex diversis in locis longinquis atque disiunctis nasci posse, sicuti: A. glandulosa ex varietate quadam Aquileiae vulgaris in montuosis Sibiriae ac Transsilvaniae; aut A. pyrenaica ex A. Bertolonii in monte pyrenaeo et ex A. nivali in terra gilgitensi; vel A. iucunda, ut videtur, ex A. vulgari in Sibiria et ex A. nivali in Kashmiria; vel A. alpina ex A. Bertolonii vel e varietate nigricanti Aquileiae vulgaris in Alpibus et montibus appenninis, et ex A. Moorcroftiana suaveolenti in Himalaya centrali;

(6) varietatem eandem, cum in locis diversissimis orta sit, in uno loco saepius stabiliorem esse quam in reliquis, sicut Aquilegia pyrenaica satis constat in Pyrenaeis, sed maxime fluxa est in montuosis altissimis Himalayae occidentalis;

(7) verisimile esse candem formam interdum in locis diversissimis inveniri quod varietas recentior in figuram speciei parentis translata sit (atavismus), sicuti stirpes indiciae Aquileiae vulgaris verae ex Aquilegia pubiflora natae videntur esse.

#### EXPLICATIO FIGURARUM TABULAE SEXTAE.

- 1–3. Isopyrum grandiflorum,  $\frac{2}{1}$ , Afghanistan.
  - 4–8. Isopyrum microphyllum,  $\frac{2}{1}$ , Himalaya bor. occ.
  - 9. Idem,  $\frac{1}{1}$ .
  - 10. Aquilegia parviflora, Sibiria.
  - 11. Isopyrum grandiflorum,  $\frac{4}{1}$ , Vallis Kurrum.
  - 12. A. ecalcarata,  $\frac{1}{1}$ , Kansu.
- Figurae 13–74 magnitudine propria descriptae sunt.
- 13–18, 20, 21, 21\*. A. nivalis' paradoxa'', Gilgit, Kashmir, Tibetia occ.
  - 19. A. nivalis' saccocentra''.
  - 22–26. A. Moorcroftiana' fragrans'', Kashmir, Gilgit.
  - 27. A. alpina', Mont Cenis.
  - 28. eadem, Helvetia.
  - 29. eadem, Mons appenninus. Folia caulina A. alpinae typicae.
  - 30. eadem, himalaica'', Garhwal.
  - 31. A. glandulosa' typica Fischeri, Sibiria.
  - 32. A. glandulosa, Sibiria.
  - 33. A. Moorcroftiana' suaveolens'', Lahul.
  - 34. eadem, Vallis flum. Chenab.
  - 35. A. Moorcroftiana' kunaorensis'', Kashmir.
  - 36. eadem, Gilgit, Ladakh.
  - 37, 38. eadem, Kashmir.
  - 39. A. viscosa' Einseleana'', Venetia.
  - 40–42. eadem, Val Sassina.
  - 43. A. viridiflora, Thian Shan.
  - 44. eadem, Mongolia.
  - 45–50. A pubiflora'.

45. *Silva Mashobra prope Simla*, 46. *Massuri*, 47. *Garhwal*, 48. *Simla*, 49. *Simla*, 50. *Him. pentapotamica*. Sepala florum 48 et 49 lanceolata acuminata.
51. A. vulgaris' eynensis'', *Valle' d' Eynes*.
52. A. vulgaris' Karelini'', *Vallis Nila*.
53. A. vulgaris' recticornu'', *Bavaria*.
54. A. pyrenaica', *Montes pyr. occ.*
55. eadem, *Herb. Forestier*, *Mons. pyr.*
- 56–58. A. Moorcroftiana' suaveolens'', *Ladakh*.
- 59–61. A. Moorcroftiana' kunaorensis'', *Gilgit*.
62. eadem, *Ladakh*, eadem ac 35.
63. A. pubiflora', *Silva Mashobra*, eadem ac 45.
64. eadem, *Vallis Kurrum*.
65. eadem, *Simla*.
66. eadem, *Him. occ.*
- 67, 68. eadem, *Him. pentapotam.*, ex eodem flore ; eadem ac 50.
69. eadem, *Simla*.
70. eadem, *ex codem loco atque 67.*
71. Carpella A. pubiflorae'.
72. Carpella A. kunaorensis''.
73. Carpella A. nivalis'.
74. Apex parastemonis A. Karelini''.
75. Parastemones A. pubiflorae'.
76. iidem, aucti.
77. Parastemones A. Moorcroftiana', aucti.